JOHAN. ALPHONSI TURRETTINI
Sacrarum ANTIQUITATUM Professoris,

DE

LUDIS SÆCULARIBUS
ACADEMICÆ
QUÆSTIONES.

In Solennibus ACADEMIÆ GENEVENSIS Ludis, A. D. VI. Non. Mai. MDCCI. propositæ ac discussæ;
Nunc variis accessionibus locupletatæ.

Hæ nugæ ad seria ducent.
Horat.



GENEVÆ,
Apud SOCIETATEM.
M. DCCI.

VENERANDO SENI

PRÆSULI ILLUSTRISSIMO

GUILIELMO LLOYDIO

EPISCOPO VIGORNIENSI

SERENISSIMO MAGNÆ BRITANNIÆ REGI

GUILIELMO III. AB ELEEMOSYNIS

VIRO

CANA FIDE

ANTIQUIS MORIBUS

PROPAGANDÆ CHRISTIANÆ FIDEI

INSTAURANDÆ MORUM DISCIPLINÆ

AC SUBLEVANDORUM PAUPERUM

STUDIOSISSIMO

ANTIQUITATIS CUM SACRÆ TUM PROPHANÆ PERITIA
ET ACCURATISSIMA TEMPORUM DOCTRINA
NULLI SECUNDO
PATRONO ET IN CHRISTO PATRI
PLURIMUM SUSPICIENDO
HAS
DE LUDIS SÆCULARIBUS
QUÆSTIONES
CUM
VITÆ ULTRA SÆCULUM PRODUCTÆ
SENECTÆ VIRIDIS
ET OMNIGENÆ FELICITATIS
VOTO MITTIT

JOH. ALPHONSUS TURRETTINUS.



DE LUDIS SÆCULARIBUS ACADEMICÆ QUÆSTIONES.



OC *novô Sæculô*, VIR CLARISSIME, *& Academicis hisce Ludis, sponte sese animo ingerunt* Ludi Romanorum Sæculares: *Quorum dum historiam expendo, variosque Autores, sive Veteres, sive Recentiores, qui de iis scripserunt, evolvo, quædam mihi obversantur dubia, quibus me non possum expedire.*

Et primò quidem, dum in originem Ludorum illorum inquiro, non me latet quid à Varrone, Valerio Maximo, Zosimo, aliisque, memoriæ proditum sit; Verùm hæc omnia meræ Fabulæ, mera commenta mihi videntur.

Adhæc, dum singulas Ludorum illorum circumstantias lustro, quibus Diis litaretur, quo Victimarum genere, quo tempore, quo loco, quo ritu, & à quibus personis, horum omnium singulares causas vix ac ne vix quidem assequor.

Etiam, dum tempora Ludorum illorum atque intervalla in-

vestigo, tam varias reperio inter Veteres ipsos sententias (aliis centesimo quoque anno, aliis centesimo decimo, Solennia hæc definientibus,) ut, in tanta discrepantia, quibus potiùs credam, ignorem.

Rursùs, in Ludis illis perlustrandis, præ cæteris eminent Imperatoris Philippi *Ludi; Qui, cur à Zosimo prætermittantur, & quomodo cum Philippi Christianismo consentiant, nondum apud me potui statuere.*

Iterùm, in Ludis illis recensendis, video plerosque Autores eos ab Honorio *celebratos tradere; Quod etiam cum Christiana Fide, imò & cum variis ab Honorio promulgatis Legibus, conciliare non valeo.*

Postremò, me quoque anxium habet Jubilæum *Pontificium; Quod, an Ludorum Sæcularium imitatio fuerit, quâ de causâ tam serò institutum, tandem quibus fundamentis tam sæpe immutatum, mihi nondum plenè compertum est.*

De quibus omnibus, VIR CLARISSIME, *quid observaveris inter legendum, & quid tu ipse sentias, si exponere non dedigneris, non me solum tibi obstringes, sed & rem facies Illustrissimæ ac Doctissimæ huic Panegyri, si benè auguror, non ingratam.*

RESPONSIO.

RESPONSIO.



PPORTUNA sunt quæ profers, THEOLOGIÆ CANDIDATE DOCTISSIME. His Sæculi primordiis, & hâc solenni Ludorum pompâ, in mentem tibi veniunt *Ludi* Romanorum *Sæculares*; De quorum origine, ritibus, intervallo, speciatim de Philippi atque Honorii Ludis, denique de instituto in eorum imitationem Pontificiorum Jubilæo, quid sentiam requiris. Dicam de singulis breviter; Et quæ ab aliis, vel prætermissa, vel perperàm posita sunt, elucidare pro viribus tentabo.

I. Ergo de Origine ut primùm dicamus, eam sic refert Varro, Lib. de Scenicis originibus; *Cùm multa*, inquit, *portenta fierent, & murus ac turris, quæ sunt intra portam Collinam & Esquilinam, de cælo essent tacta, & ideò Libros Sibyllinos X. viri adiissent, renuntiarunt uti Diti Patri & Proserpinæ Ludi Terentini in Campo Martio fierent, & hostiæ furvæ* (hoc est, nigræ) *immolarentur, utique Ludi centesimo quoque anno fierent.* Hæc Varro. At Valerius Maximus, Zosimus, aliique, diversam originem, quanquam non minùs divinam, produnt. Cùm " enim Romanos inter atque Albanos bellum esset, imò " & utraque jam in procinctu staret acies, dicunt virum "

QUÆSTIO I. *De Ludorum Secularium Origine.* Apud Censorin. de Die Nat. cap. XVII.

Val Max lib II c. IV. § 5. Zosim. hist. lib. II. init.

A 2 monstrosâ

Politian. Miſcel. c.58. Onuphr. Panvin. de Lud. Sæcul.

« monſtroſâ ſpecie, ac pelle amictum furvâ, repente ex-
« titiſſe, clamantem, jubere Ditem patrem, Deamque
« Proſerpinam, priùs ſibi ſacrum fieri quàm prælium
« committeretur; Quô perterrefactos viſô Romanos,
« protinus aram ſub terra ædificaſſe, factâque re ſacrâ,
« pedum xx. aggere texiſſe, ne ſcil. aliis quàm Romanis
« factum innoteſceret. Poſtmodùm, cùm ingens peſti-
« lentia Urbem agroſq; popularetur, narrant Valeſo cui-
« dam Valeſio, duos filios & filiam ad deſperationem
« uſque laboraſſe; Quorum cùm ille ſalubritatem, à La-
« ribus familiaribus, ardentibus votis flagitaret, ortam cœ-
« litùs vocem eſſe, habiturum illos ſalvos, ſi devectos
« Terentum, ex Ditis Patris ac Proſerpinæ ara, petitâ
« caldâ recreaſſet: Ergo Terentum deportantur, ubi pro-
« tinus ſublevati, ſomnióque moniti, ad eandem illam
« aram, quæ Albano bello defoſſa fuerat, furvas hoſtias
« immolant, Ludoſque tribus noctibus faciunt, quia ſci-
« licet totidem pueris ſalus fuerat reſtituta. Tandem
« Valerius Poplicola, primus poſt ejectos Tarquinios
« Conſul, Urbe peſtilentiâ laborante, Ludos illos publicè
« inſtituit; Qui ſæpe dein agitati, cùm aliquandiu negle-
« cti eſſent, XV.virûm conſilio, inſpectiſque Libris Si-
« byllinis, ab Auguſto inſtaurati ſunt.

Prodigia Ethnicorum quàm indigna fide.

Et hæc quidem laudati Autores, de Sæcularium Ludorum origine. Verùm hæc omnia meras eſſe Fabulas, mera temporum illorum commenta, tecum facilè adducor ut credam. Sanè prodigiis iſtiuſmodi, Deorumque apparitionibus, tum in malis publicis, tum

in

in Sacris instituendis, nihil frequentius apud Ethnicos. Verùm nonnisi rudis plebecula fidem iis commodabat; Cordati omnes ea irridebant, vel dubia saltem fatebantur. Ipse Valerius, qui hanc recitat Ludorum originem, has similesque narrationes dubiæ esse fidei agnoscit: *Nec me præterit*, ait ille, *de motu & voce Deorum immortalium, humanis oculis auribusque percepto, quàm in ancipiti opinione æstimatio versetur. Sed quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem auctores vindicent.* Pariter Livius, quô non alius est Prodigiorum amantior Historicus, quemque idcircò Gregorius Magnus, saltem si fides traditioni, Bibliothecis pellendum curabat, tamen ipse Fabulas ejusmodi potiùs excusat quàm tuetur: *Illa*, inquit, *Poëticis magis decora Fabulis, quàm incorruptis rerum gestarum monumentis, nec affirmare, nec refellere in animo est. Datur hæc venia Antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia Vrbium* (potuit & dicere *primordia Ludorum*) *augustiora faciat. Sed hæc & his similia, utcunque animadversa, aut existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine.* Neque aliter Q. Curtius, si quid miri proferendum habeat, seipsum fidem denegare, non obscurè innuit: *Equidem*, ait, *plura transcribo quàm credo; Nam nec affirmare sustineo de quibus dubito, nec subducere quæ accepi.* Cicero imprimis, eximiis suis de *Natura Deorum* & *Divinatione* Libris, quàm falsè ridet, quàm vividè refellit, quæcunque, tum de Auguriis, tum de vocibus cœlitùs missis, tum de Deorum apparitionibus, in vulgus spargebantur? Exempli causâ, ludicra extabat de haruspi-

Val. Maxim. Lib. I. cap. VIII. §. 7.

Casaubon. Præf. in Polyb.

T. Liv. Lib. I. init.

Q. Curt. Lib. IX.

Cic. de Divinat. Lib. II. cinæ primordiis narratio. Dicebatur Tages quidam, cùm terra araretur, & sulcus altiùs esset impressus, extitisse repente, & eum affatus esse qui arabat: Cujus adspectu attonitô bubulcô, ac præ stupore exclamante, totam illicò Etruriam eum in locum convenisse, atque à Viro illo terra genito haruspicinæ Leges accepisse. Quid verò ad hæc Tullius? *Num ergo*, inquit, *ad hæc refellenda opus est Carneade? Num Epicuro? Est-ne quisquam ita desipiens, qui credat exaratum esse, Deum, dicam, an hominem? Si Deum, cur se contra naturam in terram abdiderit, ut patefactus aratro lucem aspiceret? Quid? idem nonne poterat Deus hominibus Disciplinam ex superiore loco tradere? Si autem homo ille Tages fuit, quonam modo potuit terra oppressus vivere? Vnde porrò illa potuit, quæ docebat alios, ipse didicisse? Sed ego insipientior, quàm illi ipsi qui ista credunt, qui quidem contra eos tam diu disputem.* Quibus addit scitum illud Catonis, *qui mirari se aiebat, quòd non rideret aruspex, aruspicem cùm vidisset.*

Vnde Prodigia apud Ethnicos. Enimverò tot illa Prodigia, quibus Ethnicorum Annales scatent, non aliis causis quàm Plebis insaniæ, Historicorum commentis, Sacerdotum dolis, Principum artibus, accepta ferenda sunt. Plebs, ut notum est, Mirorum amore, non ducitur tantùm, sed & furit; Ubi inprimis publica mala, pestes, bella, aliaque id genus, metum animis injecerint. T. Liv. Lib. I. *Prodigia*, inquit Livius, *multa nuntiata sunt, quæ quò magis credebant simplices ac religiosi homines, eò etiam plura nuntiabantur. Plura ac majora*, ait Cicero, *videntur timentibus: Eadem non tam animadvertuntur* Cic. de. Divin. Lib. II.

tuntur in pace ; In metu ac periculo , cùm creduntur faciliùs , tum finguntur impuniùs. Ut verò in hæc propendet populus , ita & delectandi studio ea passim congerunt Scriptores : *Incredibilium relatu* , ait Seneca, *commendationem parant ; & lectorem aliud acturum , si per quotidiana duceretur , Miraculo excitant.* Verùm præcipuus horum omnium fons , Sacerdotum doli fuêre. Cujus rei lepidum extat apud Athenæum exemplum. Scilicet Nautæ quidam Tenii , ex periculosa ac difficili navigatione reduces, gratum animum Diis testaturi , hædum immolandum adduxerant : Verùm gracilis admodum ac macilentus erat ille hædus : Quocirca cernens Victimarius non admodum lautas epulas sibi expectandas esse , arte quadam illis hominibus non insolitâ ventri consuluit. Cùm enim jugulata adapertaque fuisset Victima , Nautæque juxta Sacrorum ritum , inspiciendo jecori omninò attenti essent , is mirâ manuum agilitate, tractando viscera ac retractando , renem aufert atque projicit : Quam partem ubi deficere animadverterunt Nautæ , tumultuari illicò atque pavescere cœperunt. Mox , ut sinistrum omen averterent , quando primâ non litarant hostiâ , secundam adjecerunt ; Cumque & secundæ cor deesset , tertia opus fuit ; Donec opiparum Sacerdotibus Convivium paratum esset. Denique ut Sacerdotes , sic & Reges ac Imperatores prodigiis istiusmodi in rem suam utebantur. Iis , militibus animum ; Iis , hostibus terrorem ; Iis , civibus fiduciam atque obsequium ingenerabant ; Quemadmodum ex innumeris , aliosque.

Senec. Nat. Quæst. Lib. VII. cap. 16.

Athenæ. Deipnos. Lib. IX p.m. 379. 380.

Vid. multa hanc in rem apud Cic. de Div. Lib. II. Valer Max. Lib. I. Livium, Plutarchum, Curtium,

ris, cùm Græcæ, tum Romanæ Historiæ Exemplis constare potest.

De Libris Sibyllinis. Vid. Blondel des Sibylles, chap. 8 & 9. Vandale de fals. Proph. cap. 6.

Et quid de *Libris Sibyllinis*, quibus inspectis Ludi Sæculares instaurati sunt, subjungemus? Quid? nisi meras quoque nænias, meras Dominantium artes fuisse. Vetula quædam Librorum farraginem Tarquinio Regi offert; Cúmque amplum satis pretium non offerat Tarquinius, illa de novem sex comburit; Tres reliqui Regi acquiruntur, ac summâ curâ asservantur. Mox, his incensis cum Capitolio, quaquaversùm mittuntur Legati, qui quicquid næniarum erat apud Erythræos corradant. Colliguntur ergo Librorum plura millia; Ab omnium visu submoventur; Qui eos describit, capite plectitur; Eos consulere, nonnisi Viris à Senatu delectis permittitur. Julius Cæsar, dum Regnum affectat, Libros illos in subsidium vocat; Fertur oraculum nonnisi à Rege Parthos debellandos esse. Tandem Augustus, habito delectu, plusquam duo millia illorum cremat; Nonnisi quos vult retinet. Quis Politicam artem non sentiat? Quis fraudem non odoretur?

Dionys. Halic. Rom. Ant Lib. IV.

Valer. Max. Lib I. cap 1. § 13.

Cicer. Suet. Plut. Dio.

Sueton in Octa. c. 31.

Quæ cùm ita sint, quid tandem, dices, de Sæcularium Ludorum origine, statui à nobis poterit? Duo, me judice, statui possunt. *Primum*, occasione pestis cujusdam, vel alius cujusdam cladis, Ludos illos institutos esse. Ac sanè, vulgaris erat Antiquorum consuetudo, ut, in cladibus ejusmodi, Ludi publici, Sacra solennia, tanquam remedia adhiberentur. Sic Olympici Ludi dudùm intermissi, ob coortam seditionem & grassantem pestem

Ludi Sæculares occasione pestis vel similis cladis instituti.

pestem instaurari, prout refert Phlegon Trallianus. Sic Theatrales Ludi apud Romanos, occasione pestis instituti, prout narrat Valerius Maximus. Sic etiam, paribus de causis, institutæ sæpenumerò feriæ, supplicationes, festa novendialia, quemadmodum ex Livio discimus. Scilicèt, Spectaculis illis, afflictos plebis animos erigi, morbos mitigari, spem gigni, imò & Deos ipsos placari existimabant. Hoc primum.

Phlegon de Olymp. p. 139. &c. Edit. Meurs.
Val. Max. Lib. II. cap. IV. §. 4.
T. Liv. Decad. 4. Lib. VI. & Lib. X. & alibi pass.

Secundò, his addi potest, Augustum plebis demerendæ, atque Imperii firmandi causâ, Ludos illos, ut & multos alios, antè neglectos, instaurasse. Cùm enim Populi omnes ad Spectacula mirè propensi sint, tum incredibili eorum amore præ cæteris flagrabant Romani. *Panem & Circenses*, nil ferè aliud in votis habebant.

Ludos Sæculares Augustus Politicô consiliô restituit.

> *Nam qui dabat olim*
> *Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se*
> *Continet, atque duas tantùm res anxius optat,*
> *Panem & Circenses.*

Juven. Satyr. X. ℣. 78.-81.

Et, *Ille dolor solus patriam fugientibus, illa*
Mæstitia est, caruisse anno Circensibus uno.

Juven. Satyr. XI. ℣. 52. 53.

Certè Julius nullâ magis arte ad Principatum ascendit, quàm exhibitis Populo Romano Spectaculis omnis generis. Augustus pariter Ludorum numero, splendore, ac frequentia, Antecessores omnes superavit: Singulique ferè Imperatores, populi gratiam inituri, novum aliquem Ludum invexerunt. Quin &, eâdem de causâ, instituta stata illa Solennia, Imperatorum dico *Quinquennalia, Decennalia, Vicennalia,* &c. quorum tum apud Hi-

Suet. in Jul. cap 39.
Suet. in Octav. c. 43.
Vid. Pagi Differ. Hyp. Part. II. c. II. pag 83.

ſtoricos, tum in Nummis, tam frequens mentio. Denique, nec aliò tendebant, tot Ludi Publici, Feſta, Certamina, variis Imperatoribus, in variis Urbibus, dicata; Qualia Ἄκτια, Αὐγούστεια, Σεβάστεια, in honorem Augusti; Κομόδεια, in honorem Commodi; Σεβήρεια, in honorem Severi; Φιλαδέλφεια, in honorem Caracallæ & Getæ Fratrum, &c. Ἐφέσια, quæ apud Epheſum; Κοῖνα Ἀσίας, Θεσσαλίας, Φρυγίας, quæ communibus Provinciarum illarum ſumptibus fiebant, aliaque ſimilia, quorum pleni ſunt Auguſtorum Nummi. Sic Plebis animi demulcebantur, à rebus novis avertebantur, ad mollitiem flectebantur, imò & ob Principum merita, qui *hæc otia* ipſis *faciebant*, iis alacriùs obſequebantur. Contrà verò, ſi qui ſeverioribus eſſent moribus Principes, neque ad Ludos, ſive edendos, ſive ſpectandos, multùm propenſi, ii, magnis licèt ornati dotibus, in populare odium incurrebant, & conviciis diſcerpebantur; Quod quidem Juliano Auguſto apud Antiochenos acciſſe, ipſe eleganti Satyrâ declarat. Igitur, inter dominandi artes, non mirum eſt ſi Ludi omnis generis, atque inter alios Ludos, non mirum eſt ſi Sæculares ab Auguſto adhibiti ſint: Quorum ut major celebritas eſſet, majorque virtus crederetur, & fictis Sibyllæ Oraculis, & repetitis ex antiqua memoria Fabulis effectum eſt.

Vid. Vaillant Numiſm. Impp. græc. p. 329. &c. Edit. Amſt. 1700.

Vid. Juliani Imp. *Miſopogon.*

De Fictitiis Pontificiorum Prodigiis.

Cæterùm, ut in aliis multis, ſic & in hoc Fabularum amore, Roma Pontificia Ethnicam refert. Quot enim non finxit Miracula, tum ut certis placitis fidem, tum

ut-

ut certis Divis cultum, tum ut certis Solennibus autoritatem conciliaret? In dissidiis de *Immaculatâ Virginis Conceptione*, non tam argumentis quàm visis pugnatum: Sed quod incommodum, Sancti cum Sanctis, Visiones cum Visionibus, *D. Catarina* cum *D. Brigitta*, adversâ velut acie pugnârunt; Quod vel unum, si alia desint, ad falsitatem demonstrandam sufficit. Et quis nescit *D. Gertrudis*, *D. Hildegardis*, *D. Mathildis*, *D. Elizabethæ Schonaugiensis*, aliarumque, Visiones? Et quis ignorat Purgatorium, Transsubstantiationem, Confessionem Auricularem, aliaque Romana Dogmata, fictis Miraculis innixa? Quibus quidem chartas maculare non erubescit ipse *Bellarminus*. Et cui non dictæ tot Reliquiæ, putidis Fabulis commendatæ? Qualis decantata illa nuper Vindocinensis Lacrymâ, cujus ineptias ad oculum demonstrat homo illarum partium ingenuus, sed cujus patrocinio Vir cæteroquin Doctissimus ac Celeberrimus Joh. *Mabillon*, Benedictini Ordinis decus, famam deterere non dubitavit. Tandem, cùm de Festo hîc agamus, quem præterit Festa non pauca, Festum *Corporis Christi*, Festum *Michaëlis Archangeli*, Festum *D. Ursulæ & XI. M. Virginum*, aliaque pleraque omnia, ab ineptis visionibus ac prodigiis ortum duxisse? Verùm hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Ad Sæculares Ludos redeamus.

Bellarm. de Purgat. Lib. I. cap. 7. Id. de Sacram. Euchar. Lib. III. c. 8. Id. de Pœnit. Lib. III. c. 12.

Thiers Disc. sur la S. Larme de Vendôme. Paris 1699. Lettre d'un Benedict. sur le discern. des Reliq. Paris 1700.

QUÆSTIO II. *De Ludorum Secularium Ritibus.*

II. Quæris secundò, quid sibi vellent singuli Ludorum illorum Ritus? Illi verò ita describuntur. In-„stantibus

Zosim. Hist. Lib. II. init. Politian. Misc. c. 58.

« stantibus Ludis, per totam Italiam mittebantur præco-« nes, convocatum ad Ludos, quos nemo vidisset antea, « neque posthac visurus esset. Mox, paucis ante Ludos « diebus, piamina à XV. viris populo dividebantur, tædæ « nempe, sulphur, & bitumen. His autem Diis res sa-« cra fiebat, Jovi, Junoni, Latonæ, Cereri, Apollini, Dia-« næ, Diti patri, Proserpinæ, atque Parcis. Superis albæ « Victimæ, Inferis nigræ offerebantur; Et inter Victi-« mas, Boves & Agni, nec non & Porci, eminebant. Por-« rò durabant per tres dies & tres noctes illa Solennia. « Primâ nocte, ad Tiberis ripam, Princeps ipse cum XV. « viris, tribus in aris tres agnos cædebat. Ibi Scena con-« structa, rogi accensi, hymni cantati, divisæque inter ce-« lebrantes fructuum primitiæ, tritici, hordei, & fabarum. « Manè Capitolium ascendere, sacra de more agitare, in-« déque in theatrum profecti, in Apollinis & Dianæ ho-« norem Ludos facere solebant. Posterô die, Matronæ « Nobiles in Capitolium ascendebant, Deo supplicabant, « Hymnos cantabant. Tandem tertiâ luce, in Apolli-« nis Palatini Templo, ter novem pueri, totidemque « puellæ, patrimi omnes matrimique, Apollini & Dianæ « Sæculare Carmen concinebant: Dum interim totô illô « triduô, Sacra in omnibus Templis, Ludique omnis ge-« neris in Theatris omnibus frequentarentur. Tales fue-runt Ludi Sæculares.

Horum omnium causæ. Plutarch. Lib. de Isid. & Osir.

Quæris autem, quorsùm hæc omnia? Memor haud-dubiè illius Plutarchi, ὐδὲν ἄλογον ἐν ἱερȣργίαις, *nihil in Sacris sine causa factum.* Ergo ut horum rationes pa-teant,

teant, tenendum est Sacra Sæcularia non alio fine instituta, quàm ut Imperii diuturnitas, fausta sobolis procreatio, præservatio à peste, aliisque periculis, vitæ longævitas, frugum ubertas, unô verbô felicia omnia à Diis impetrarentur. Hôc positô, facilè capies, & cur certi Dii selecti, & cur certæ Victimæ oblatæ , & cur certo tempore, certis locis, à certis personis, denique certis ritibus, hæc omnia peragerentur.

Cur certi Dii bis Sacris præpositi.

Inter Deos, hîc eminet *Iupiter*; sive quia Deorum summus,

Θεῶν πατὴρ ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,

Divûm pater atque hominum Rex.

Hesiod. θεογον ✝.457. & alibi passim.

Sive quia peculiarem Urbis Romæ curam gerebat, Unde *Feretrius*, *Stator*, *Latialis*, *Capitolinus*, &c. à Romanis colebatur. Sequebatur *Iuno* ac *Latona*; (unam enim fuisse crediderim;) Sive quia, ut Jupiter viris, ita fœminis Juno præerat; Sive quia, ut Jovi annus, ita Junoni Mensis erat sacer, Jove Solem, Junone Lunam denotante, prout observat Plutarchus; Sive imprimis quia Juno Nuptiis ac partui præficiebatur; Unde apud Virgilium,

Plutarch. Quæst. Roman.

Iunoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.

Virgil. Æneid. Lib. IV. ✝.59.

Et apud Terentium;

Iuno Lucina, fer opem;

Terent. Andr.

Et, *Tu Lucina dolentibus*
Iuno dicta puerperis,

Catul. Carm. Sæc. Carm. 35.

in Carmine Sæculari Catulli; Hinc *Lucina*, quòd in lucem mitteret; *Iuga*, *Iugatina*, *Cinxia*, *Pronuba*, quod nuptias curaret; Etiam Εἰλείθυια, *Ilithya*, ut in Carmine

Vid. Voss. de Theol Gentil. Lib. II. cap. 26. p. 433. &c.

Selden de Diis Syris Synt. II. c. 2.

mine Sæculari Horatii, sive ab Hebræo ילד *genuit*, Hiph. הוליד *parere fecit*, sive à לילה *nox*, prout Hebræorum *Lilu*, & Arabum *Alilat*, quòd eadem esset cum Luna. Huic accedebat *Ceres*, quæ non alia erat quàm Tellus; quoniam ad Telluris fruges hæc Sacra etiam referebantur. Hinc Callimachus, armentorum curam, & frugum ubertatem, imò & pacem, à Cerere requirit;

Callimach. Hym. in Cererem. ℣. 136.–138.

Φέρε δ' ἀγρόθι νόσιμα πάντα.
Φέρβε βόας, φέρβε μᾶλα, φέρε στάχυν οἶσε θερισμόν.
Φέρβε καὶ εἰράναν, ἵν' ὃς ἄροσε, κεῖνος ἀμάσῃ.
Da farris acervos:
Pasce boves, & oves, fer spicas, collige messem.
Da pacem, ut quæ consevit metat arva colonus.

Quin &, suprà, faustas tempestates allaturam Cererem sperat;

Ibid. ℣. 123. 124.

Λευκὸν ἔαρ, λευκὸν δὲ θέρος, καὶ χεῖμα φέρουσα,
Ἥξει, καὶ φθινόπωρον, ἔτος δ' εἰς ἄλλο φυλαξεῖ.
Ver album, Messemque albam, brumamque benignam
Autumnumque feret, pluresque tenebit in annos.

Quæ omnia Votis Sæcularibus quàm aptè conveniant, nemo est qui non videat. Imprimis verò *Apollini* & *Dianæ* sacri erant Ludi Sæculares; Sive quòd tempori præessent, erant enim Sol & Luna; Sive quòd Dii *Averrunci*, ἀλεξίκακοι, ἀποτρόπαιοι, *malorum depulsores*, crederentur; Sive quòd ut Trojæ olim, ita postmodùm Romæ essent Patroni; Sive quòd Phœbus Medicinæ, Artiumque Liberalium, Diana Sylvarum, Nemorum,

morum, agrorumque esset Dea; Quæ omnia ad felicitatem Sæculi pertinebant. Denique Diis Inferis, *Plutoni*, *Proserpinæ*, atque *Parcis* litabatur, quia Mortis Vitæque Arbitri, imò & bonorum malorúmque Dispensatores credebantur. Hinc Hesiodus de Parcis; Hesiod. Θεογον. ✝. 218. 219.

αἵτε βροτοῖσι

Γεινομένοισι διδοῦσιν ἔχειν ἀγαθόν τε, κακόν τε.

quæ mortalibus

Nascentibus, dant habendum bonumque malùmque.

Quocirca non mirum est, si, ad Temporum felicitatem, eas placari oporteret.

Porrò ut Dii, ita & *Victimæ*, quæ convenirent Diis, selectæ. Diis Inferis *furvæ*, seu nigræ, Superis *albæ* offerebantur; Quia scilicet, ut Cœlo splendor, contrà Morti atque inferis caligo convenit. Hinc ad illa Virgilii verba, *Cur Inferis nigra, Superis alba Victima.*

Sic fatus, meritos *aris mactavit honores*; Virgil. Æn. Lib. III ✝. 118 & seq.

Taurum Neptuno; *taurum tibi, pulcher Apollo*;

Nigram *hyemi pecudem*, *Zephyris felicibus* albam;

ita commentatur Servius: *Meritos*, *unicuique aptos. Ratio enim Victimarum fit pro qualitate Numinum. Nam aut hæc immolantur*, *quæ obsunt eorum muneribus*, *&c.*; *aut certè ad similitudinem*, *ut inferis nigras pecudes*, *superis albas immolent : tempestati atras*, *candidas serenitati.* Pariter Festus, ad vocem *Furvum*; *Furvum*, inquit, *nigrum vel atrum. Hinc dicta*, furnus, furiæ, funus, fuligo, fulgus, fumus. *Furvum bovem*, *id est*, *nigrum*, *immolabant Averno.* Quibus concinit Apollinis Oraculum, quod Porphyrius apud Eusebium laudat; Servius in hunc locum. Festus ad vocem *Furvum.* Apud Euseb. Præp. Evang. Lib. IV. c. 9.

Τρεῖς

Τρεῖς μὲν ἐπιχθονίοις, τρεῖς δ' οὐρανίοισι θεοῖσι·
Φαιδρὰ μὲν οὐρανίοις, χθονίοις δ' ἐναλίγκια χροιῆ.
Hostia terna Diis alba *est mactanda supremis:*
Terna quoque, at furvo *terrestribus* atra *colore.*

Quid multis? Constans hæc erat in Ethnicorum Sacris distinctio, & à Poëtis assiduè notata. Sic in Sacris, quæ
Virgil. Æn. Lib. V. ℣. 97. pius Æneas paternis Manibus fecit, *cadere* dicitur
Nigrantes *terga juvencos.*

Pòst, Anchisæ umbra, Æneam monens, quô rituum apparatu in Inferos pervenire possit, iterùm nigras pe-
Ibid. Lib. V. ℣. 735-736. cudes Inferis mactari jubet:
Huc casta Sibylla
Nigrarum *multo pecudum te sanguine ducet.*

Ibid. Lib. VI. ℣ 243. Quibus monitis parens Æneas,
Quatuor hìc primùm nigrantes *terga juvencos*
Constituit: Mox,
Ibid. v. 249. Atri *velleris agnam*
Ense ferit.

Lucret. Lib. III. ℣. 52-53. Sic Lucretius, Lib. III.
Et nigras *mactant pecudes, quas Manibu' Divis*
Inferias mittunt.

Tibull. Lib. III. Eleg. 5. Et Tibullus,
Interea nigras *pecudes promittite Diti.*

Ovid. Metamorph. Lib. VII ℣. 245. Et Ovidius, de Medeæ Sacris,
Cultros in guttura Velleris atri
Conjicit, & patulas perfundit sanguine fossas.

Stat. Thebaid. Lib. IV. Et Statius de Tiresia,
Velleris obscuri *pecudes, armentaque sisti*

Atra

Atra *monet.*

Contrà verò, quòd albæ Victimæ, candentes tauri, nivei boves, &c. Superis essent offerendi, sexcenta loca manifestum faciunt. Sic Æneas, apud Virgilium, Sacra à se peracta narrans,

Superoque nitentem
Cælicolûm regi mactabam in littore taurum. Virgil. Æn. Lib. III. ℣. 20. 21.

Aliô locô, Vaccam candidam Junoni offert Dido;

Ipsa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido
Candentis *vaccæ media inter cornua fundit.* Id. Æneid. Lib. IV. ℣. 60. 61.

Sic Horatius, se album caprum Baccho vovisse, testatur; Horat. Od. Lib. III. Od. 8.

Voveram dulces epulas, & album
Libero caprum, propè funeratus
Arboris ictu.

Et Ovidius, in *Fastis*,

Albaque *percussâ victima fronte cadat.* Ovid. Fastor. Lib. I. ℣. 720.

Et Seneca, in *Medea*, ita Chorum loquentem inducit: Senec. Mede. ℣. 59.–62.

Primus sceptriferis colla Tonantibus
Taurus celsa ferat tergore candido.
Lucinam nivei *fœmina corporis*
Intentata jugo placet.

Et in ejusdem *Agamemnone*, ita Chorus ad Junonem, Senec. Agamem. ℣. 352.–355.

Ad tua conjux
Candida *tauri delubra cadit,*
Nescia aratri, nullo collum
Signata jugo.

Et in ejusdem OEdipo; Senec Œdip.

Adpellite aris candidam *tergo bovem,*

C *Curvóque*

Curvóque nunquam colla depressam jugo.

Ammian. Marcell. Lib. XXV. cap. 4. Atque hinc ille sarcasmus, in Marcum Aurelium, ad bellum proficiscentem: οἱ λευκοὶ Βόες Μάρκῳ τῷ Καίσαρι, ἂν σὺ νικήσῃς, ἡμεῖς ἀπωλόμεθα. *Candidi Boves Marco Cæsari, si victor fueris, nos perimus.* Plura non addo, nisi quæ in hunc ritum ab Arnobio disputantur. Scilicèt, postquam Ethnicos irrisit, quòd fœmineas Victimas fœminis, mares maribus Diis offerrent, colorum

Arnob. adv. Gentes, Lib. VII. p. m. 225-226. discrimen pariter perstringit. *Quæ in coloribus ratio est*, inquit, *ut meritò his albas, illis atras conveniat, nigerrimasque mactari? Quia superis Diis*, inquit, *atque ominum dexteritate pollentibus, color lætus acceptus est, ac felix hilaritate candoris. At verò Diis lævis, sedesq; habitantibus inferas, color furvus est gratior, & tristibus suffectus è fucis.* Parcat Arnobius; Non ex ominibus, vel dextris, vel sinistris discriminis hujus ratio petenda est; Ex merâ ortum est, prout innuimus, cœlestium cum splendore, Mortis cum caligine, convenientiâ. Quæ sequuntur, totum illum ritum meritissimè ridendum propinant; Non modò quia, ut ait Satyricus,

Juvenal. Satyr. II. ℣. 149. *Esse aliquos manes, & subterranea regna,*
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.

Arnob. ibid. *Sed assentiamur, ut vultis*, addit Arnobius, *& esse inferos, & esse manes, & habitare nescio quos in his Deos, hominibus minùs faustos, & tristioribus præpositos rebus: Et quæ causa, quæ ratio est, ut tetræ his hostiæ, nigerrimique admoveantur coloris? Quia nigra nigris conveniunt, & tristia consimilibus grata sunt. Quid ergo? non videtis, ut vobiscum & nos*

stolidè

stolidè similiterque ludamus, albas esse hostiarum carnes, ossa, dentes, pinguitias, omenta cum cerebris, mollesque in ossibus medullas? Sed vellera nigra sunt, nigraeque animantium setae. Solas ergo immolate Diis lanas, vulsasque ex hostiis setulas: relinquite infelicissimas pecudes, spoliatas licet ac tonsas, cæli animam ducere, & pastibus innocentissimas incubare. Quòd si grata numinibus inferis ea quæ sunt nigra, furvique existimatis coloris; cur non omnia cætera, quæ illorum inferre sacrificiis moris est, sint nigra, & fumigata, tetréque ut colorata curatis? Inficite tura, si dantur, salsas fruges, atque universa libamina: lacti, oleo, sanguini, hic ponat ut purpureum colorem, illa, ut sint lurida, fuliginem infundite cum favillis. Quòd si vobis religio nulla est, alba quædam ferre, & suos retinentia candores, ipsi vestras religiones rationesque dissolvitis, cùm sacrorum in opere nihil unum, perpetuumque servatis. Rectè Arnobius, imò rectissimè.

Quod ad Victimarum species, *Boves* imprimis ac *Iuvenci*, in Sæcularibus Sacris mactabantur: Hinc Horatius, Hymno Sæculari, *Cur Boves ac Iuvenci inter Victimas Sæculares.*

Quique vos bobus *veneratur albis.* Horat. Carm. Sæcul.

Pariter in Sibyllæ Oraculo, quod apud Zosimum extat, boves Jovi, Junoni, & Apollini, mactandi præcipiuntur;

Ζάλδυκοι ταῦροι δ' Διὸς παρὰ βωμὸν ἀγέσθων· Sibyll. Orac. ap. Zosim. Hist. Lib. II.

Inde boves *albi Iovis adducuntor ad aram.*

Et pòst paulò; ὡς δ' καὶ ἄυτως

Ιερδέειν δαμάλεις τε βοὸς δέμας ἀγλαὸν Ηρης
Δεξάσθω νηὸς παρὰ σοῦ

Simili ratione Juvenca

Iunoni nitida & labis mactabitur expers.

Et rursùs; καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων,

Ὅστε καὶ Ἠέλιος κικλήσκεται, ἶσα δεδέχθω

Θύματα Λητοΐδης.

Hinc & Sacra feret paria abs te Phœbus Apollo,

Latonâ genitus, quem Solem nomine dicunt.

Ratio in promptu est: Cùm enim Boves, ob insignem quem præbent in Agriculturâ usum, maximo Antiquis essent in pretio, non mirum est si, in maximis Sacris, & ad agrorum fertilitatem potissimùm directis, quales erant Ludi Sæculares, adhibiti perhibeantur. Certè Livius *Majorem hostiam* Boves passim appellat. Et Plinius, de bobus agens, *Hinc victimæ opimæ*, inquit, *& lautissima Deorum placatio.* Et *pro primis spoliis bove, pro secundis solitaurilibus, pro tertiis agno, publicè sacra fieri debere,* autor est Festus. Hinc in Triumphis aliisque Solennibus, Boves vel Tauros adhibitos, obvium est apud Poëtas: Sic Virgilius, Georgic. II. de Italiæ pascuis agens;

Plin. Nat. Hist. Lib. VIII. c.45.

Festus ad vocem *Opima*, cum not. Scalig.

Virg. Georg. II. ỳ.146.

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima Taurus

Victima, *sæpe tuo perfusi flumine sacro*

Romanos ad Templa Deûm duxêre triumphos.

Lucret. De Rer. Nat.

Et apud Lucretium;

Cretatumque bovem *duci in Capitolia magna.*

Ad quæ verba Juvenalis alludens, dum Populi lætitiam, post Sejani mortem, describit;

Juven. Satyr. X. ỳ.65.66.

Pone domi lauros: Duc in Capitolia magnum

Cretatumque bovem.

Et apud Silium Italicum;

Patulis

Patulis Clitumnus in arvis
Candentes gelido profundit sanguine Tauros:
Sed tristes Superi, atque ingratâ maxima *curâ*
Victima *Tarpeïo frustrà nutrita Tonanti.*

Sili. Italic. de Bell. Punic. Lib. IV.

Et apud Claudianum;

Quin & Clitumni sacras Victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta Triumphis,
Visere cura fuit.

Claudian. Panegyr. de VI. Conf. Honor. ✝. 506.

Porrò quanti fierent Boves, loca Veterum plurima testantur. *Bos in pecuaria*, inquit Varro, *maxima debet esse autoritate: præsertim in Italia, quæ à bubus nomen habere sit existimata. Græcia enim Antiqua, ut scribit Timæus, tauros vocabat Ἰταλοὺς, à quorum multitudine, & pulchritudine, & fœtu vitulorum, Italiam dixerunt. Alii scripserunt, quòd é Sicilia Hercules persecutus sit eò nobilem taurum, qui diceretur Italus.* Mitto rationem Etymologicam; Quâ in arte, boni illi Romani, utpote Linguarum Orientalium præsidio destituti, miserè cespitabant: Hoc unum noto, quod Varro docet, Boves *maxima apud Italos auctoritate esse debuisse.* Quid, quòd Bovem *Agricolam* vocabant, & *humani laboris Socium*: Et hanc unam ex primis ducebant Ætatis Aureæ laudibus, quòd à cædendis bobus abstineret. Hinc Cicero; *Quid de bobus loquar? quibus cùm terræ subigerentur fissione glebarum, ab illo aureo genere, ut Poëtæ loquuntur, vis nunquam ulla afferebatur.*

Varr. de Re Rust. Lib. II. cap. 5.

Vid. aliam *Italia* Etymologiam, ex lingua Phœnicia ductam, apud Bochart. Canaan Lib. I. cap. 33.

Cicer. de Nat. Deor. Lib. II. on longè ante finem.

Ferrea tum verò proles exorta repentè est,
Ausaque funestum prima est fabricarier ensem,
Et gustare manu victum domitumque Iuvencum.

Tanta putabatur utilitas percipi ex bobus, ut eorum visceribus vesci scelus haberetur. Pariter Virgilius, Georg. II. Aureum Sæculum describens;

Virgil. Geor. Lib II. ℣. 537.

Ante etiam sceptrum Dictæi Regis, & antè
Impia quàm cæsis gens est epulata juvencis.

Unde Pythagoras, apud Ovidium, ut à Boum cæde homines deterreat, in hunc modum loquitur;

Ovid. Met. Lib. XV. ℣. 120—129.

Quid meruêre Boves, animal sine fraude dolisque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Immemor est demùm, nec frugum munere dignus,
Qui potuit curvi dempto modò pondere aratri
Ruriçolam *mactare* suum: *Qui trita labore*
Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,
Tot dederat messes, percussit colla securi.
Nec satis est, quod tale nefas committitur: ipsos
Inscripsêre Deos sceleri; Numenque supernum
Cæde laboriferi *credunt gaudere* Juvenci.

Quibus subjungit;

Ibid. ℣. 141. 142.

Cúmque Boum dabitis cæsorum membra palato,
Mandere vos vestros scite & sentite colonos.

Quæ & ab Ovidio ipso, Cereris Sacra describenti, aliô locô confirmantur;

Ovid Fast. Lib. IV. ℣. 413.—416.

A Bove succincti cultros removete Ministri:
Bos aret: ignavam sacrificate Suem.
Apta jugo cervix non est ferienda securi;
Vivat, & in dura sæpe laboret humo.

Caton. Distich. Mor.

Quibus & concinit tritum illud Catonis;

Thure Deum placa: Vitulum sine crescat aratro.

Et

Et re verâ, tanta fuit Boum, multis in gentibus, reverentia, ut eorum vitæ ac saluti, non minùs ferè quàm humanæ, consultum vellent. Vt enim Ægyptios mittam, à quibus Bos in Divinis habitus; Vt varios Orientis populos, qui boum carne abstinebant; constat Phryges morte mulctasse, quisquis *bovem aratorem interfecisset*. Pariter, apud Athenienses, *ne bos arator mactaretur*, antiquâ Lege cautum fuerat, ὅτι καὶ οὗτος εἴη ἂν γεωργὸς, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός · *quoniam*, aiebant, *ille etiam est Agricola*, *& humano generi laborum socius*. Quâ quidem lege antiquatâ, tamen ejus vestigia manserunt, dum, in iis Festis, quæ Διιπόλια & Βουφόνια vocabantur, occisô bove, ensem in jus vocabant, atque ut homicidam damnabant. Sed nec minor Boum veneratio apud Veteres Romanos fuit: *Hic socius homini*, inquit Varro, *in rustico opere*, *& Cereris Minister*; *Ab hoc Antiqui ita manus abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occidisset*. Et Columella Taurum quoque vocat *laboriosissimum hominis socium in agricultura*; *Cujus tanta fuit apud Antiquos veneratio*, *ut tam capitale esset bovem necasse quàm civem*. Et Plinius; *Socium laboris*, *agrique culturæ habemus hoc animal*, *tantæ apud priores curæ*, *ut sit inter exempla damnatus à Populo Romano*, *die dictâ*; *qui concubino procaci rure omasum edisse se negante*, *occiderat bovem*, *actusque in exilium*, *tanquam colonô suô interemptô*: *Innocens*, addit Valerius Maximus, eâdem historiâ narratâ, *nisi tam prisco sæculo natus esset*. Plura non addo de Boum laudibus, nisi quòd βουλυτεῖν, apud Antiquos, *magnifi-*

Ælian. Hist. Animal. Lib. XII cap. 34. Stobæ. Serm. XLII. p. 291.

Ælian. Var. Histor. Lib. V. cap. 14.

Ælian. Var. Histor. Lib. VIII. cap. 3.

Varr. de Re Rust. Lib. II. cap. 5.

Columel. de Re Rust. Præf. Lib. VI.

Plin. Natur. Hist. Lib. VIII. cap. 45.

Valer. Max. Lib. VIII. cap. 1. §. 8.

cos

Erasm. Adag. col. 997.

cos sumptus facere, & *βεθυσία* *regale sacrum*, *opiparum convivium* sonabat, prout in Adagiis observat Erasmus. Ex quibus omnibus, ne plura jam addantur, quanto in pretio fuerint Boves, quámque proinde opportunæ Sæcularibus Sacris fuerint Victimæ, abundè perspici potest.

Plura vid. ap. Gothof. Cod. Theod. Lib. II. Tit. 10. & Boch. Hieroz. Part. I. Lib. II.

Cur Agni inter Victimas Seculares. Zosim. Hist. Lib. II.

Vt verò Bobus, ita & *Agnis*, Sæculare Sacrum agebatur. *Primâ nocte*, inquit Zosimus, *Imperator cum XV. viris, tribus in aris tres agnos cadit.* Ratio eadem quæ in Bobus; Magna nempe, quâ Oves erant, apud Antiquos gratia; quâ factum ut, in maximis Sacris, pariter adhiberentur. Ut autem tanti essent Oves, duo præ cæteris faciebant: Tum innata Mansuetudo; Vnde Festus, *Maximam hostiam*, inquit, *ovilli pecoris appellabant, non ab amplitudine corporis, sed ab animo placidiore:* Tum imprimis, quòd, ut Boves victum, ita & Oves vestitum, hominibus subministrent; Quibus duobus, vel Paulô teste, tota hominum vita continetur; Vnde Plinius, *Magna*, inquit, *& pecori gratia, vel in placamentis Deorum, vel in usu vellerum. Vt boves victum hominum excolunt, ita corporum tutela pecori debetur.* Quò fit, ut miseram utrorumque sortem pariter defleat Ovidius;

Festus in voce *Maxima*.

1. Tim. VI. 8.

Plin. Natur. Hist. Lib. VIII. cap. 47.

Ovid. Fast. Lib. IV. v. 383. 384.

Quid tuti superest, animam cùm ponat in aris
Lanigerumque pecus, ruricolæque boves?

Quicquid sit, primas hominum opes in pecudibus sitas fuisse, Sacræ pariter ac profanæ Literæ declarant. Hinc מקנה apud Hebræos, & *μῆλα* apud Græcos, non *pecudes* tantummodò, sed & in genere *divitias* notant.

Hinc

Hinc *pecunia* à *pecudibus*; Et antiquissima Moneta notâ pecudum signata. *Nomina pecuniæ & peculii*, inquit Columella, *tracta videntur à pecore: quoniam id solum Veteres possederunt, & adhuc apud quasdam gentes unum hoc usurpatur divitiarum genus.* Et Plinius, non unô locô; *Servius Rex*, inquit, *primus signavit æs. Antea rudi usos Romæ Timæus tradit. Signatum est notâ pecudum: unde & pecunia appellata.* Cujus quidem in rei memoriam, mulctatio, apud Romanos, ovium, boumque dicebatur. *Mulctatio*, inquit Plinius, *nonnisi ovium boumque impendio dicebatur; non omittenda priscarum legum benevolentia: Cautum quippe est, ne bovem, priùs quàm ovem, nominaret, qui indiceret mulctam.* Quid multa? Tum in Triumphis, tum in aliis primæ notæ Sacris, Ovibus litatum constat. Hinc Servius, ad hæc Virgilii, *Nautas comitabor ovantes*; *Propriè*, inquit, *Ovatio est minor triumphus. Qui enim ovationem meretur, & uno equo utitur, & à Plebeiis vel ab Equitibus Romanis deducitur ad Capitolium, & de* ovibus *sacrificat; unde &* Ovatio *dicta*: Quanquam aliam Etymologiam huic voci adsignat Festus, *ab eo clamore, quem faciunt redeuntes ex pugna victores milites, geminatâ O literâ.* Quot porrò sint, apud Poëtas, Ovium Sacrificia, & in maximis quidem negotiis oblata, enumerare nil attinet: Sic Achilles, Iliados Iº, non aliô modô Apollinem placare, pestemque castris amoliri, quàm *Agnis* caprisque mactatis, destinat;

Αἴ κέν πως ἀρνῶν κνίσσης, αἰγῶν τε τελείων
Βούλεται ἀντιάσας ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι.

Columel. De Re Rust. Præf. Lib. VI.

Plin. Nat. Histor. Lib. XXXIII. cap. 3.

Plin. Nat. Histor. Lib. XVIII. c. 3.

Adde Festum, in voce Ovibus.

Servius in Lib. IV. Æn.

Festus in voce Ovantes.

Homer. Iliad. A. ỷ. 76. 77.

Virgil. Æn. IV. v. 56. 57. Sic Dido, Æneidos IV°, mactatis Ovibus ad Nuptias ſe parat;

Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt; mactant lectas de more bidentes.

Æneid. V. Item Æneidos V°,

cadit quinas de more bidenets.

Æneid. VI. Et Æneidos VI°,

Nunc grege de intacto ſeptem mactare juvencos
Præſtiterit, totidem lectas de more bidentes.

Æneid. VII. Et Æneid. VII°.

Centum lanigeras mactabat ritè bidentes.

Et ſingulis Idibus, Agnam Jovi oblatam, Ovidius teſtatur;

Ovid. Faſt. Lib. I. v. 56. *Idibus alba Iovi grandior* Agna *cadit.*

Quæ omnia quicunque perpendet (nec enim vacat plura congerere) certè Agnos in Maximis Sacris, v. g. in Sæcularibus, adhibitos eſſe non mirabitur.

Cur Sus inter Victimas Sæculares. Sed & inter Sæculares Victimas, *Suem* quoque locum habuiſſe, memoriæ proditum eſt. Hinc Oraculum, quô tota præſcribitur Sæcularium Sacrorum ratio;

Sibyll. Oracul. ap. Zoſim. Lib. II.

αὖθι δὲ γαίῃ
Πληθομένῃ χοιρός τε καὶ ὗς ἱερεύοιτο μέλαινα.

Inde feraci
Telluri porcus *mactetur cum* ſue *nigra.*

Nimirùm Cereri ſive Telluri ſacram imprimis Suem fuiſſe, propterea quòd animal illud Terræ frugibus noceat, Ethnicorum Monumenta docent. Sic Servius, locô jam laudatô; *Ratio victimarum ſit pro qualitate Numinum;*

Servius in Lib. III. Æneid. v. 118.

minum ; *Nam aut hæc immolantur quæ obsunt eorum muneribus, ut porcus Cereri, quia obest frugibus; hircus Libero, quia vitibus nocet* ; &c. Unde Ovidius, *Fastorum* primô,

Prima Ceres avidæ gavisa est sanguine porcæ,
Vlta suas meritâ cæde nocentis opes. Ovid.Fast. Lib.I ỷ.349.-350.

Item, *Fastorum* quartô, ubi Cereris Sacra describuntur; Ovid.Fast. Lib.V. ỷ. 414.

Bos aret: ignavam sacrificate suem.

Quibus alludens, Libris *de Ponto*,

Vana laborantis si fallat vota coloni,
Accipiat gravidæ cur suis *exta Ceres?* Ovid. de Ponto.Lib. II.Eleg. IX. ỷ.29.30.

Et Pythagoras, postquàm docuit ab omni cæde animalium Aureum Sæculum sibi temperasse, addit Suem primam, ob nocumentum frugibus illatum, exitio devotam esse;

Prima putatur
Hostia Sus *meruisse mori: quia semina pando*
Eruerit rostro, spemque interceperit anni. Id.Metam. Lib. XV. ỷ. 111.---113.

Atque hinc factum, ut in iis Sacris, quæ ad Agrorum culturam spectabant, Porco plerumque litaretur. Sic in Sacris, quæ post sementem agitari consueverant, Sue litatum testatur Ovidius;

Placentur frugum matres, Tellusque, Ceresque,
Farre suo: placidæ visceribusque Suis. Id.Fastor. Lib.I.ỷ.671. 672.

Pariter, si quando in sacris arboribus, rami quidam luxuriantes, ac lumini officientes, succidendi essent (quod *conlucare* appellabant) id sine piaculo fieri non poterat, neque aliô quàm porcô piaculum peragebatur; Hâc additâ precatione, *Si Deus, si Dea es, cujum illud sacrum* Vid. Salmas. Plinian. Exercit.Tom. I. p. 583.584. Edit.Paris.

 est,

est, uti tibi jus siet porco piaculo facere, illiusce sacri coërcendi ergò. Et, in Fœderibus ſanciendis, quis ignorat Porcum cæſum eſſe? Hôc additô in perjuros votô, *Si Populus Romanus prior defexit, publico conſilio, dolo malo, tu illo die, Iupiter, Populum Romanum ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam.*

T. Liv Lib. I. Sueton. in Claud. c. 25.

Cæsâ jungebant fœdera porcâ,

Virgil. Æn. VIII. Servius in h. l.

inquit Virgilius: Ad quem locum Servius notat, *Fœdera dicta eſſe à porca fœdè & crudeliter occiſa, cujus mors optabatur ei qui à pace reſiliiſſet.* Errat Interpres; *Fœdus* non à *fœdo*, ſed à *feriendo* dictum, ſicut ברית à ברא *ſuccîdit*, & *ſancire* à *ſanguine*; unde Hebræis כרת ברית, Chaldæis גזר קים, Latinis *fœdus icere, ferire, percutere*; alluſione nempe ad Victimas, in fœderibus ſanciendis occiſas. Quicquid ſit, unde ortum putas, ut *Porcus* utplurimùm hoc in ritu adhiberetur? niſi quòd Tellus propitiari, imò & Pax firmari, Victimâ illâ exiſtimaretur. Etenim arcta intercedebat inter Cererem & Pacem cognatio; Et propitiatâ unâ, altera quoque propitiabatur. *Pace Ceres læta eſt*, inquit Ovidius; Et alibi,

Ovid. Faſt. Lib. IV. ℣. 407. Id. Faſt. Lib. I. ℣. 704. Tibull. Lib. I. Eleg. XI.

Pax Cererem nutrit: Pacis alumna Ceres.

Quod & Tibullus ſic exprimit;

Interea Pax arva colat. Pax candida primùm
Duxit araturos ſub juga curva boves.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit uvæ,
Funderet ut nato teſta paterna merum.
Pace bidens, vomerque vigent, at triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.

Mox,

Mox, concludens, Pacem advocat, spicis pomisque exornatam, qualis & sæpe in Nummis describitur; Vid. Anc. Augustin. Dialog. II. & Du Choul Relig des anc. Rom. pag 146.

At nobis Pax alma veni, spicamque teneto;
Perfluat & pomis candidus antè sinus.

Quam ut impetraret, *Porcum* Laribus, quasi Victimam Paci congruam, antea promiserat;

At nobis ærata, Lares, depellite tela, Tibull. ibid.
Hostiaque è plena rustica porcus *hara.*

Hoc unum addo; Ut Boves & Oves, ita etiam Porcos, priscis Romanis in pretio fuisse. Iis villæ nunquam carebant; *Quis enim fundum colit nostrum*, inquit Varro, *quin sues habeat?* Et veterem Nummum Plutarchus memorat, *bove*, *ove*, ac *sue* signatum; Quô notabatur, Priscorum opes in his potissimùm sitas fuisse. Unde &, addit Plutarchus, nomina multa deducta sunt, ut *Suilliorum*, *Bubulcorum*, *Porciorum*. Quæ omnia si animo volvas, certè, inter Sæculares Victimas, nullus miraberis Porcum fuisse. Varr. de Re Rust. Lib. II. cap. 4. Plutarch. in Quæst. Roman.

Hactenus de Victimis. Sed nec minor cura in assignandis Temporibus fuit. *Interdiu* Superis, *noctu* Inferis fiebant Sacra; ob eandem nempe, quam diximus, Cœlestium cum luce, Mortis cum tenebris convenientiam. Certè, ut Nocti, ita & Morti, *atra* Epitheton vulgò assignatur; Sic Hesiodus, *Cur interdiu Superis, noctu Inferis, fierent Sacra.*

θάνατος δὲ, καὶ ἐκπάγλους περ ἐόντας,
Εἷλε μέλας, λαμπρὸν δ᾽ ἔλιπον φάος ἠελίοιο. Hesiodus Ἔργα καὶ ἡμέρ. v. 154. 155.
Mors autem, tametsi terribiles erant,
Invasit atra, *splendidumque liquerunt lumen Solis.*

Atque hinc factum, quòd Mortuorum Umbræ nonnisi noctu per terram incedere à Poëtis fingantur: Unde illæ apud Propertium;

Propert. Lib IV. Eleg. 7.

Nocte vagæ ferimur; Nox clausas liberat umbras,
Errat & abjectâ Cerberus ipse serâ.
Luce jubent Leges Lethæa ad stagna reverti.
Nos vehimur; vectum Nauta recenset onus.

Extat Romæ, in horto Monast. S. Sebastiani; Et refertur à Boxhorn. Quæstion. Rom. pag. 41 42.

Unde & illud piæ conjugis, in Veteri Inscriptione, votum; ut scilicèt maritum defunctum *horis nocturnis* videre posset:

ITA.PETO.VOS.M .... ES. SANCTISSIMI.
COMMENDAT.........HABEATIS.
MEVM.CA.....M.ET.VELLITIS.
HVIC.INDVLGENTISSIMI.ESSE.
HORIS.NOCTVRNIS.
VT.EVM.VIDEAM.

Ita peto Vos, Manes Sanctissimi, commendatum habeatis meum carum, & velitis huic indulgentissimi esse, horis nocturnis ut eum videam.

Cur æstivo tempore celebrati sint Ludi Seculares. Zosim. Lib. II. p. 73. Ibid. p. 75.

Porrò *æstivis* diebus, & quidem Messis initiô, celebratos esse Ludos Sæculares, Monumenta Veterum testantur. Κατὰ τὴν ὥραν τοῦ θέρους, *circa tempus Messis*, inquit Zosimus; Et,

Ῥοπῇ στεινοτάτῃ νὺξ ἡνίκα γαῖαν ἐπέλθῃ,
Nox brevior tenebris terras ubi texerit atris,

inquit Oraculum Sibyllinum. Vt autem id ita fieret, variæ rationes suadebant; Tum quòd longissimi dies in

in Apollinem meliùs quadrarent; Tum ut haberentur fructuum primitiæ, in Deorum Templis offerendæ; Tum etiam ut commodiùs Sacris noctes impenderentur. Quam quidem temporis circumstantiam constanter esse observatam, contra Panvinium & Bucherium demonstrat Vener. LLoydius, Episcopus Wigorniensis, scriptâ ad Pagium Epistolâ. Vide LLoydii Epist. ap. Pagi Critic. An. C. 88. §. III.

Sed & durasse per *tres* dies & *tres* noctes Sacra Sæcularia, Mysterio neutiquam caruit. Notum quippe est ternarium numerum sacrum apud Ethnicos fuisse, in piaculis præsertim, incantamentis, atque Sacris Inferorum. Sic apud Virgilium, Eclogâ octavâ, *Cur tribus diebus, ac tribus noctibus.*

> Terna *tibi hæc primùm triplici diversa colore* Virg. Eclog. VIII.
> *Licia circundo*: terque *hæc altaria circum*
> *Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.*

Et alibi;

> *Idem* ter *socios purâ circumtulit undâ.* Virgil. Æn. Lib. VI.

Pariter Ovidius, de Medeâ loquens;

> *Verbaque* ter *dixit placidos facientia somnos.* Ovid. Met. Lib. VIII. ℣. 153.

Et paulò pòst;

> Ter *se convertit*; ter *sumptis flumine crinem* Ibid. ℣. 190.
> *Irroravit aquis*; ternis *ululatibus ora*
> *Solvit.*

Et rursùs;

> Terque *senem flammâ*, ter *aquâ*, ter *sulphure lustrat.* Ibid. ℣. 262.

Item de Circe, aliô locô;

> Ter *juvenem baculô tetigit*; tria *carmina dixit.* Ibid. Lib. XIV. ℣. 387.

Quin & ipsum Julium Cæsarem, *post unum ancipitem vehiculi*

Plin. Natur. Hist. Lib. XXVIII. cap. 2.

vehiculi casum, semper carmine ter *repetito securitatem itinerum aucupari solitum*, auctor est Plinius. Scilicèt, nescio quam præstantiam, tum imparibus numeris in genere, tum præsertim ternario, tribuebant; Cujus dum causas comminiscuntur, sanè ludibrium debent Antiqui. Quid enim? An, quia par numerus in partes æquales dividi potest, impar dividi non potest, quin aliquid sit residui, ideò *impar melior ac præstantior*, cum Plutarcho, erit dicendus? Vel, an eandem ob causam, *impar numerus immortalis, par mortalis*, cum Servio, censendus? Vel, an quia in ternario numero est *principium, medium, & finis*, idcircò Trias perfectissima, cum Aristotele, erit habenda? Vel an quia *Iovi trifidum fulmen, Neptuno tridens, Plutoni triceps Cerberus, tres Parcæ, tres Furiæ, &c.* idcircò Deorum omnium potestas huic numero, cum Servio, tribuenda? Vt ut sit; (nec enim libet ineptiis illis immorari) non mirum est, si, cùm tantam crederent ternarii numeri virtutem, eum hîc adhibuerint; sique, & tres dies, & tres noctes, & tres aræ, & tres agni, & ter novem pueri, totidémque puellæ, unô verbô trina omnia, his in Sacris deprehendantur: Vnde Ausonius, in Idyllio, quô ternarium numerum celebrat, Ludos Sæculares non prætermittit;

Plutarch. in Quæst. Roman.

Servius auctior in Virgil. Eclog. VIII.

Aristot. de Cœlo, Lib. I. cap. 1.

Servius ibid.

Auson. Griph. Idyll. XI. ỷ. 34.

Trina *Terentino celebrata* trinoctia *Ludo*.

Cur priùs Inferis quàm Superis res sacra fieret.

Sed & illud notatu dignum, priùs Inferis quàm Superis factam esse rem sacram. Mala quippe priùs avertenda, quàm optanda bona censebant. Vnde Servius, ad hæc Virgilii,

Nigram

Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam;

Bono, inquit, *usus est ordine, ut priùs averteret mala, sic conciliaret optanda. Frustrà enim profutura poscuntur, adversis sequentibus.* **Servius in Virgil. Æn. Lib. 3. ℣. 120.**

Vt verò Tempora, ita & *Loca*, appositè his Sacris delecta. Ædes *Iovis Capitolini*, quâ non alia sanctior Romæ. Ædes *Apollinis Palatini*, ad quem propriè spectabant hæc Sacra. Etiam *Terentum*, in Campo Martio, ac propè Tiberis ripam; Qui locus amplus & amœnus, non unô Templô conspicuus, & in quo Comitia utplurimùm congregabantur; Eò certè Ditis Sacris aptior, quòd in declivi Urbis parte situs esset. ***Cur certa Loca.***

Personæ pariter dignæ quæ notentur. Dirigebant omnia Sacrorum præfecti, primò II.viri, mox X.viri, post Syllam XV.viri, *Sacris faciundis* deputati. Prima Sacra offerebat Princeps, sive Consul, sive Imperator, quia de salute Imperii potissimùm agebatur. Sequebantur Nobiles *Matronæ*, quòd hæc etiam ad Matrimonium atque partum spectarent. Denique *pueri* & *puellæ*, Reipublicæ spes ac seminarium; *patrimi* omnes *matrimique*, ἀμφιθαλεῖς vocabant Græci, hoc est, quorum uterque parens superstes erat; Id enim semper observatum, ut nè quid triste, vel infausti ominis, peragendis ritè Sacris obstaret. ***Cur certæ Personæ.***

In Ritibus porrò erant *Piamina*, tædæ, sulphur, ac bitumen; Is quippe mos, Sacrorum initiô, ut mala averterentur, & delicta, si quæ fuerant, flammis quasi absumerentur. Hinc tot Veterum purgationes, expiationes, ***Cur Piamina.***

lustrationes; Aliæ privatæ, aliæ publicæ; Aliæ aquis fieri solitæ, quas Ovidius sic perstringit,

Ovid. Fast. Lib. II ℣. 45. 46.

Ah nimiùm faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aquâ.

Aliæ, ut hîc, flammis ac sulphure; Vnde Juvenalis;

Juvenal. Satyr. II. ℣ 157. 158.

Cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis, aut si foret humida laurus.

Aliæ etiam sanguine, & alicubi quidem humano; Sicut apud Barbaros illos, de quibus Silius Italicus;

Sil. Italic. Lib. IV.

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
Poscere cæde Deos veniam, & flagrantibus aris;
Infandum dictu! parvos imponere natos.

Qui mos quàm esset inhumanus, & naturæ Deorum adversus, his subjunctis ostendit Poëta;

Ibidem.

Quæ porrò hæc pietas, delubra aspergere tabo?
HEU PRIMÆ SCELERUM CAUSÆ MORTALIBUS ÆGRIS
NATURAM NESCIRE DEÛM. *Iusta ite precari*
Thure pio, cædumque feros avertite ritus.
MITE ET COGNATUM EST HOMINI DEUS.

Ad *Lustrationes* ut redeam, nihil in Romanis Sacris frequentius. Illæ à Græcis ad Romanos transierant;

Ovid. Fast. Lib. II. ℣. 37. 38.

Græcia principium moris dedit; illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.

Ab iis *Februarius* mensis appellatus, quòd solennis illô mense lustratio fieret;

Ibid. ℣. 19.

Februa Romani dixêre piamina patres.

Ibid. ℣. 31. 32.

Et, *Mensis ab his dictus: sectâ quia pelle Luperci*
Omne solum lustrant: idque piamen habent.

Lustrationes

Lustrationes in agris factæ; Lustrationes in exercitibus; Lustrationes etiam in Vrbe; Quarum illa celeberrima, quæ quintô quoque annô fiebat, unde *Lustrum* apud Romanos.

Rursùs in his Sacris erant *Primitiæ*, tritici, hordei, & fabarum. Mos quippe fuit Veteribus, & is quidem antiquissimus, primitias Diis offerre, tum gratitudinis testandæ, tum etiam ubertatis imposterùm obtinendæ causâ. Certè Ægyptios, in Isidis festo, & ipsô quidem Messis tempore, obtulisse spicarum primitias, auctor est Diodorus Siculus. Pariter veterem Atheniensium Legem, Θεὺς καρποῖς ἀγάλλειν, *Deos frugibus venerandos*, Juris Attici collectores exhibent. Et Romanos, *novas fruges, aut vina, ne degustare quidem* voluisse, *antequam Sacerdotes primitias libassent*, in Historiâ Plinius testatur. Quid miri ergo, si, ad impetrandam, per totum Sæculum, frugum ubertatem, Primitiæ hîc oblatæ sint?

Cur Primitiæ. *Diodor. Sicul. Bibliot. Lib. I.* *Petit. Leg. Attic. init.* *Plin. Nat. Histor. Lib. XVIII. c. 2.*

Speciatim his Sacris accedebant *Hymni*, ab occasione dicti *Sæculares*; quales apud Horatium & Catullum etiamnum extant. Solenne nempe in plerisque Sacris, Carminibus Deos celebrare: Sic in Sacris *Compitalitiis*, quæ antiquissima censentur, Bacchum carminibus celebratum constat;

Cur Hymni.

Et te, Bacche, canunt per carmina *læta*,

inquit Virgilius; Et mox,

Ergo ritè suum Baccho dicemus honorem
Carminibus *patriis*.

Virgil. Georg. Lib. II. ℣. 388. *Ibid. ℣. 393.*

lustrationes; Aliæ privatæ, aliæ publicæ; Aliæ aquis fieri solitæ, quas Ovidius sic perstringit,

Ovid. Fast. Lib. II. ỷ. 45. 46.

Ah nimiùm faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aquâ.

Aliæ, ut hîc, flammis ac sulphure; Vnde Juvenalis,

Juvenal. Satyr. II. ỷ. 157. 158.

Cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis, aut si foret humida laurus.

Aliæ etiam sanguine, & alicubi quidem humano; Sicut apud Barbaros illos, de quibus Silius Italicus;

Sil. Italic. Lib. IV.

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
Poscere cæde Deos veniam, & flagrantibus aris;
Infandum dictu! parvos imponere natos.

Qui mos quàm esset inhumanus, & naturæ Deorum adversus, his subjunctis ostendit Poëta;

Ibidem.

Quæ porrò hæc pietas, delubra aspergere tabo?
HEU PRIMÆ SCELERUM CAUSÆ MORTALIBUS ÆGRIS
NATURAM NESCIRE DEÛM. *Iusta ite precari*
Thure pio, cædumque feros avertite ritus.
MITE ET COGNATUM EST HOMINI DEUS.

Ad *Lustrationes* ut redeam, nihil in Romanis Sacris frequentius. Illæ à Græcis ad Romanos transierant;

Ovid. Fast. Lib. II. ỷ. 37. 38.

Græcia principium moris dedit; illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.

Ab iis *Februarius* mensis appellatus, quòd solennis illõ mense lustratio fieret;

Ibid. ỷ. 19. *Februa Romani dixêre piamina patres.*

Ibid. ỷ. 31. 32. Et, *Mensis ab his dictus: secta quia pelle Luperci*
Omne solum lustrant: idque piamen habent.

Lustrationes

Lustrationes in agris factæ ; Lustrationes in exercitibus ; Lustrationes etiam in Vrbe ; Quarum illa celeberrima, quæ quintô quoque annô fiebat, unde *Lustrum* apud Romanos.

Rursùs in his Sacris erant *Primitiæ*, tritici, hordei, & fabarum. Mos quippe fuit Veteribus, & is quidem antiquissimus, primitias Diis offerre, tum gratitudinis testandæ, tum etiam ubertatis imposterùm obtinendæ causâ. Certè Ægyptios, in Isidis festo, & ipsô quidem Messis tempore, obtulisse spicarum primitias, auctor est Diodorus Siculus. Pariter veterem Atheniensium Legem, Θεὰς καρποῖς ἀγάλλειν, *Deos frugibus venerandos*, Juris Attici collectores exhibent. Et Romanos, *novas fruges, aut vina, ne degustare quidem* voluisse, *antequam Sacerdotes primitias libassent*, in Historiâ Plinius testatur. Quid miri ergo, si, ad impetrandam, per totum Sæculum, frugum ubertatem, Primitiæ hîc oblatæ sint?

Cur Primitiæ. *Diodor. Sicul. Bibliot. Lib. I.* *Petit. Leg. Attic. init.* *Plin. Nat. Histor. Lib. XVIII. c. 2.*

Speciatim his Sacris accedebant *Hymni*, ab occasione dicti *Sæculares* ; quales apud Horatium & Catullum etiamnum extant. Solenne nempe in plerisque Sacris, Carminibus Deos celebrare : Sic in Sacris *Compitalitiis*, quæ antiquissima censentur, Bacchum carminibus celebratum constat ;

Cur Hymni.

Et te, Bacche, canunt per carmina *læta*,

inquit Virgilius ; Et mox,

Ergo ritè suum Baccho dicemus honorem
Carminibus *patriis*.

Virgil. Geor. Lib. II. ỳ. 388. *Ibid. ỳ. 393.*

E 2 Neque

Neque ulla prior assignatur antiquissimis Poëtis cura, quàm ut Deos hymnis canerent; Hinc Orpheus

Horat. de Art. Poet.

Sacer interpresque Deorum

ab Horatio nuncupatur: Et alibi,

Horat. Lib. II. Epist. I.

Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, Vatem ni Musa dedisset?

In his autem Sæcularibus Hymnis, partes ut plurimùm ita dividebant, ut pueri Apollini, puellæ Dianæ canerent: Sic Horatius, Hymno Sæculari;

Horat. Carm. Sæcul.

Supplices audi pueros, Apollo:
Siderum regina bicornis, audi,
Luna, puellas.

Sibyll. Orac. apud Zosim.

Quod etiam in Sibyllæ Oraculo confirmari videtur;

ἀειδόμενοι τε Λατῖνοι
Παιᾶνας, κούροις κούραισί τε νηὸν ἔχοιεν
Ἀθανάτων· χωρὶς δὲ κόραι χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν
Καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στάχυς.
Pæanasque canent sublatâ voce Latini
Ædibus in sacris pueri, innuptæque puellæ:
Sic tamen ex alia ut consistant parte puellæ,
Ex alia pueri dicant sua carmina.

Diction. Crit. Tom. I. pag. 815.

Attamen, (ut rectè notatum ab amœnissimo Scriptore) aliquando etiam pueros & puellas Apollinis simul ac Dianæ laudes cantasse, ex his Catulli verbis apparet;

Catull. Carm. Sæcul.

Dianæ sumus in fide,
Puellæ, & pueri integri:
Dianam pueri integri,
Puellæque, canamus.

Quicquid

Quicquid sit, ut pateat quid his Hymnis contineretur, placet ex Horatii Carmine, elegantiarum plenissimo, nonnulla hîc recitare. Statim Apollinem Dianamque invocat, Horat. Carm. Sæcul. in fine Epod.

Phœbe, Sylvarumque potens Diana,
Lucidum cæli decus, o colendi,
Semper, & culti, date quæ precamur
Tempore Sacro.

Mox elegantissimè Solem describit, Romanamque Gloriam optat;

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis & celas, aliusque & idem
Nasceris, possis nihil Vrbe Roma
Visere majus.

Postmodùm, ad singula pergens, felicitatem partuum requirit;

Ritè maturos aperire partus,
Lenis Ilithya, tuere matres;
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis.

Neque hîc subsistit; sed & Legem Juliam *de maritandis ordinibus* valere, omnesque, quibus facultas, procreandæ soboli vacare, Deam Nuptiarum Præsidem rogat;

Diva, producas sobolem, Patrumque
Prosperes decreta, super jugandis
Fœminis, prolisque novæ feraci
Lege marita.

Telluris porrò ubertatem, aërisque & aquarum salubritatem exoptat;

 Fertilis

Fertilis frugum nemorisque tellus
Spicea donet Cererem corona;
Nutriant fœtus & aquæ salubres,
Et Iovis auræ.

Juventæ virtutem, senectæ solatium, omnibus omnia fausta adprecatur;

Dî, probos mores docili juventæ,
Dî, senectuti placidæ quietem,
Romulæ genti date remque, prolemque,
Et decus omne.

Quin & pro ipso Imperatore, ut *parcat subjectis, debellet superbos*, Virgilii exemplô, vovet;

Quique vos bobus veneratur albis,
Clarus Anchisæ Venerisque sanguis,
Imperet, bellante prior, jacentem
Lenis in hostem.

Plura non refero; Ex ungue Leonem.

Cur Ludi Sacris immixti. Tandem, quòd Sacris immiscerentur *Ludi*, id videri mirum non debet. Mos quippe fuit Sacra ferè omnia Conviviis atque Ludis claudere; Imò verò Ludi utplurimùm in Sacrorum partem veniebant. Hinc Ludi omnes certis Diis sacri, Olympici & Capitolini Jovi, Pythii Apollini, Isthmii Neptuno, &c. Vnde Lactantius, postquàm corripuit, & spurcitiam, & crudelitatem Ethnicorum Spectaculorum, docet illa nihil aliud quàm Deorum festa fuisse: *Ludorum*, inquit, *celebrationes Deorum festa sunt; siquidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes sunt constitutæ.* Lactant. Divin. Instit. Lib. VI. c. 20.

Et

Et primitùs quidem venationes, quæ vocantur munera, Saturno ſunt attributæ, Ludi autem Scenici Libero, Circenſes Neptuno. Paulatim verò & cæteris Diis idem honos tribui cæpit, ſinguliq; Ludi numinibus eorum conſecrati ſunt, ſicut Siſinnius Capito in libris Spectaculorum docet. Si quis igitur Spectaculis intereſt, ad quæ religionis causâ convenitur, diſceſſit à Dei cultu, & ad Deos ſe contulit, quorum natales & feſta celebravit. Pariter Cyprianus, vel quiſquis eſt autor Libri *de Spectaculis*; *Quod Spectaculum ſine Idolo? quis Ludus ſine ſacrificio? quod certamen non conſecratum mortuis? Græca illa certamina, vel in cantibus, vel in fidibus, vel in vocibus, vel in viribus, præſides ſuos habent varia Dæmonia.* Quæ etiam à Tertulliano, ſuo de *Spectaculis* Libro, fusè ac doctè pertractantur. Igitur, cùm Sacra Sæcularia ſplendidiſſima omnium fuerint, non mirum eſt ſi Ludi omnis generis, Circenſes, Scenici, Gladiatorii, &c. per totam Urbem ſint agitati. Atque ſic habes quid ſibi vellent, ſi non omnes, ſaltem præcipuæ, horum Sacrorum circumſtantiæ: In quibus ſi inepta multa, atque erroris plena reperias, ſcito Ethnicas Superſtitiones talis omnes indolis fuiſſe.

Lib. de Spectaculis, inter opera Cypriani.

III. Sequitur tertia quam moviſti Quæſtio, de intervallo ſcilicèt inter Ludos hoſce intercepto. Quæ quidem Quæſtio, ut verum fatear, ita perplexa, ita ardua eſt, ut Pyrrhoniſmum hiſtoricum videatur inducere. Ac ſanè, quid clarius, quid certius eſſe debuit, quàm intervalla tam celebrium, tam ſolenniùm Ludorum?

QUÆSTIO III. *De Ludorum Sæcularium intervallo.*

rum? Et tamen nihil obſcurius. Antiqui ipſi in partes abeunt. Alii centeſimô annô, alii centeſimô decimô, ſolennia hæc terminant. Et par utrinque autoritas, paria rationum momenta videntur. Placet hac de re *Cenſorinum* audire, qui Anno Chriſti CCXXXVIII. ſcripſit, ſed qui de Ludis Sæcularibus, eorumque intervallis, varias tantùm ſententias refert, ipſe nihil audet determinare. *Temporum intervalla*, inquit, *quibus Ludi iſti debeant referri, non modò quanta fuerint retrò ignoratur, ſed ne quanta quidem eſſe debeant ſcitur. Nam ita inſtitutum eſſe, ut centeſimo quoque anno fierent, id, cùm Antias aliique hiſtorici Autores ſunt, tum Varro de ſcenicis originibus libro primo ita ſcriptum reliquit :* Cùm multa portenta fierent &c. *Item Titus Livius Libro* CXXXVI. Eodem anno Ludos Sæculares &c. *At contrà ut decimo centeſimóque anno repetantur, tam Commentarii XV.virûm, quàm D. Auguſti Edicta teſtari videntur. Adeò ut Horatius Flaccus, in carmine, quod Sæcularibus Ludis cantatum eſt, id tempus hoc modo deſignaverit :*

Cenſorin. de Die Natali cap. XVII.

Certus, undenos decies per annos,
Orbis ut cantus referatque ludos
Ter die claro, totidemque grata
Nocte frequentes.

At enim, temporum ſi veterum revolvantur annales, longè magis in incerto invenietur. Hæc Cenſorinus. Quibus addi poteſt Sibyllinum Oraculum, quô centum ac decem anni ſtatuuntur;

Sibyll. Oracul. ap. Zoſim. Lib. II.

Ἀλλ' ὁπόταν μήκιστος ἵκῃ χρόνος ἀνθρώποισι

Ζωῆς

Ζωῆς, εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων.
Aſt ubi mortales longiſſima venerit ætas
Vitæ, centenis denis redeuntibus annis.

Contrà, centum annos ſtatuit Feſtus: *Sæculares Ludi apud Romanos poſt centum annos fiebant, quia Sæculum in centum annos extendi exiſtimant.* Pariter D. Auguſtinus; *Inſtaurati ſunt ex auctoritate Librorum Sibyllinorum Ludi Sæculares, quorum celebratio inter centum annos fuerat inſtituta.* Nec minus, inter Recentiores, quàm inter Veteres, occurrit, ſententiarum divortium.

Feſtus in voce *Sæculares.*

Auguſtin. de Civit. Dei. Lib. III. c. 18.

In tantâ pugnâ, quid ergo ſtatuemus? An dicemus unoquôque *Sæculô* celebratos hoſce Ludos, atque inde dictos *Sæculares*? Verùm vaga ac incerta erat Sæculi Romani forma. Sæculum in genere longiſſimum notabat vitæ humanæ ſpatium: Cúmque vulgò ultra centum annos hominis ævum non extendatur, idcircò Sæculum centum annorum ſpatium utplurimùm deſignabat. *Sæculum*, inquit Varro, *centum annorum ſpatium vocarunt; dictum à ſene, quòd longiſſimum ſpatium ſeneſcendorum hominum id putarunt.* At verò, nec id perpetuum, nec per conſequens Sæculi terminus certâ unquam lege circumſcriptus. Hinc Plinius; *De ſpatio atque longinquitate vitæ hominum, non locorum modò ſitus, verùm exempla, ac ſua cuique ſors naſcendi incertum fecêre.* Quod argumentum Cenſorinus, totô capite ſuprà laudatô, plenè ac doctè exequitur: *Sæculum*, inquit, *eſt ſpatium vitæ humanæ longiſſimum, partu & morte definitum: Quare qui annos triginta ſæculum putârunt, multùm videntur erraſſe.* Et paulò

Sæculi Romani forma incerta.

Varr. de Ling. Latin. Lib. V.

Plin. Natur. Hiſtor. Lib VII. cap. 48.

Cenſor. de Die Nat. cap. XVII.

F pòſt;

pòst : *Sæculum autem quid sit, usque adhuc arbitror ad subtile examinatum non esse. Poëtæ quidem multa incredibilia scripserunt, nec minùs Historici Græci, quamvis eos à vero non par fuit recedere; Vt Herodotus, apud quem legimus Arganthonium Tartessiorum regem centum & quinquaginta annorum fuisse:* (Totidem habet Plinius; Tamen nonnisi cxx. ab Herodoto, Cicerone, aliisque, numerantur:) *Aut Ephorus, qui tradit Arcadas dicere apud se reges antiquos aliquot ad trecentos vixisse annos. Verùm hæc ut fabulosa prætereo. Sed inter ipsos Astrologos, qui in stellarum signorumque ratione verum scrutantur, nequaquam etiam convenit: Epigenes in centum duodecim annis longissimam vitam constituit; Berosus autem in centum sedecim; Alii ad centum viginti annos produci posse, quidam etiam ultra, crediderunt. Fuerunt, qui non idem putarent ubique observandum, sed variè per diversas regiones, prout in singulis sit cœli ad circulum finitorem inclinatio, quod vocatur* κλίμα. *Sed, licèt veritas in obscuro lateat, tamen in unaquaque civitate quæ sint naturalia sæcula, Rituales Etruscorum libri videntur docere; in quîs scriptum esse fertur, initia sic poni Sæculorum: Quo die Urbes atque civitates constituerentur, de his qui eo die nati essent, eum qui diutissimè vixisset, die mortis suæ primi Sæculi modulum finire; Eoque die, qui essent reliqui in civitate, de his rursùm ejus mortem, qui longissimam ætatem egisset, finem esse Sæculi secundi; Sic deinceps tempus reliquorum terminari: Sed ea quòd ignorarent homines, portenta mitti divinitùs, quibus admonerentur, unumquodque Sæculum esse finitum.* Hæc Censorinus; Quibus subjungit, Ludos Sæculares ita appellatos,

Plin. Nat. Hist. Lib. VII. cap. 48. Herodot. Lib. I. Cicer. in Caton. Major.

latos, non quòd certô annorum spatiô constanter celebrarentur, sed *quòd plerumque semel fierent hominis ætate; ut multa alia, quæ rarò fiunt, post sæculum evenire, loquentium consuetudo usurpat.*

An dicemus, cum Scaligero, Dacerio, aliisque, Sæculum centum & decem annos necessariò comprehendisse, quoniam quinque Periodis Romanis, ac viginti duobus Lustris constabat; Quibus actis, in eundem orbem Periodi cum Lustris redibant? Verùm subtiles illas de Periodis Romanis hypotheses, merum esse Scaligeri somnium, jampridem ostendit Petavius.

Scaliger. de Emendat. Tempor. Lib. II. p. m. 182. Dacier Not. sur le Poëm. Secul. d'Horace p. 392. Petav. Doctrin. Temp. Lib. II. cap. 75. 76.

An ipsorum, qui acti sunt, Ludorum calculum subducentes, mensuram hinc certam colligemus? Verùm, de his Ludis non constat, saltem usque ad Augusti tempora. Veteres Historici ad certos annos, Commentarii XV. virûm ad alios annos referebant, ut videre est apud Censorinum.

Censorin. ubi suprà.

Ecquid ergo tandem lucis ex his tenebris educemus? Tria, me judice, non obscurè liquent. Primum, ad Augusti usque tempora, variam fuisse ac incertam Sæcularium Ludorum rationem: Quod re verâ ex antiquis Historicis, à Censorino laudatis, apertè colligitur; Etenim, à primis Ludis ad secundos, annos numerant LXI. A secundis ad tertios, annos numerant CCI. A tertiis ad quartos, annos C. vel CIII. Denique à quartis ad quintos, qui fuerunt Augusti Ludi, annos CXXX. vel CXXXIII. Vaga omnia, ut vides, nec ullâ lege definita. Fateor equidem, alios longè calculos in XV. virûm Tabulis

De Ludorum Sæcularium intervallis, nihil certi usque ad Augustum. Apud Censorin ubi suprà.

fuisse; Juxta quos, Ludi omnes, nonnisi cx. annis, à se invicem distabant. Verùm potiorem hac in parte esse Historicorum Veterum fidem, & XV. viros non ad priscos Fastos, sed ad sui temporis normam, singula direxisse, cum Petavio facilè credimus. Hoc primum.

Petav. Doct. Temp. Lib. II. cap. 76.

Augusti tempore, Ludi Sæculares cx. annis circumscripti sunt.

At verò, Augusti tempore, dum hi Ludi instaurarentur, etiam certâ lege, c nempe ac x. annis, à XV. viris circumscripti sunt. Unde non mirum, spatium illud, & in Augusti Edictis, & in Libris XV. virûm, & in Carmine Sæculari Horatii, imò & in Sibyllæ Oraculo, definitum apparere. Neque obstat, quòd quidam Autores, Varro, Livius, Festus, aliique, nonnisi centum annos statuant. Illi quippe, ut fieri amat, rotundum numerum duntaxat efferunt, nec eorum loca sunt urgenda. Hoc secundum.

Imperatores Augustum secuti variè pro arbitrio Ludos Sæculares celebrarunt.

Tandem verò, non obstante illâ sub Augusto positâ lege, Imperatores, pro arbitrio, modò citiùs, modò tardiùs, Ludos Sæculares celebrârunt. Alii ad Centenarios Vrbis Conditæ annos attenderunt. Alii Augustum quidem secuti sunt; Sed præcisum tempus antevertere, vel differre, non dubitârunt. Hæc in genere: Verùm hæc omnia, ex singulorum enumeratione, clariùs patebunt.

De Ludis Sæcularibus AVGVSTI.

Igitur, missis quatuor primis Ludis, qui ante Cæsarum tempora acti sunt, & de quorum annis non constat, eos quintùm fecit *Augustus*, Annô Vrbis Varronianô DCCXXXVII. ante Christum Natum XVI. C. Furnio, & C. Junio Silano Coss. Horum Ludorum meminêre Suetonius,

tonius, Plinius, Dio, Censorinus, Zosimus. *Nonnulla*, *etiam*, inquit Suetonius, *ex antiquis Cærimoniis paulatim abolita restituit: ut Salutis augurium, Diale Flaminium, Sacrum Lupercale*, Ludos Sæculares *&* *compitalicios*. Quibus quidem in Solennibus, honestatis rationem haberi voluisse Augustum, idem Historicus subjungit: *Sæcularibus Ludis*, inquit, *juvenes utriusque sexûs prohibuit ullum nocturnum Spectaculum frequentare, nisi cum aliquo majore natu propinquorum.* Hisce Ludis, Horatius, annos natus XLVIII. Sæculare Carmen composuit; De quo Carmine sic Ovidius;

Sueton. in Octav. c. 31. Plin. Lib. VII. cap. 48. Dio Lib. LIV. Censorin. cap. XVII. Zosim. Lib. II.

Jusserat & Phœbo dici; quo tempore Ludos
Fecit, quos ætas aspicit una semel.

Ovid. Trist. Lib. II. Eleg. I. ỳ. 25. 26.

Accedit Veterum Nummorum atque Inscriptionum fides, quibus hi Ludi exhibentur. Sic extat Nummus, tum aureus, tum argenteus, cujus in anticâ Caput Augusti, AVGVSTVS TR. POT. VII. In posticâ verò Cippus, cum hac Inscriptione, IMP. CAES. AVG. LVD. SAEC. Hinc & inde XV. S. F. Circùm verò L. MESCINIVS RVFVS III VIR. Sic etiam est alius Nummus, tum ex auro, tum ex argento, cujus in anticâ Figura muliebris galeata, galeâ alatâ, dextrâ Caduceum alatum, sinistrâ sceptrum gerens, cum hâc Inscriptione, AVGVSTVS DIVI F. LVDOS SAEC. F. In posticâ verò Caput laureatum, suprà stella crinita, adscriptô Monetarii nomine, M. SANQVINIVS III VIR. Quibus Nummis & alii similes apud Occonem exhibentur. Sed & extat Vetus Inscriptio, in Tabulis Capitolinis, quâ Magistri XV. virûm,

Erizz. Discorso sop. le Medagl. p. 145. 146. Occo Medieb. pag. 35. 36.

Onuph. Panvin. de Lud. Sæcul. p. 10. Sigon. Comment. in Fastos, p. 346. Joseph. Castal. Observ. Dec. VI. cap. 9. pag. 231.

qui his Sacris præfuerunt, sigillatim nominantur;

LVDI. SÆCVLARES. QVINCT.
IMP. CAESARE. DIVI. F. AVGVSTO.
C. SENTIO. C. F. C. N. SATVRNINO.
M. CLAVDIO. M. F. M. N. MARCELLO.
M. RVFIO. M. F. STRIGONE.
D. LAELIO. D. F. D. N. BALBO.
MAG. XV. VIR.

De Ludis Sæcularibus CLAVDII.

Post Augustum, Ludos Sæculares exhibuit *Claudius*, nullâ habitâ Ludorum Augusti, sed Centenarii Urbis ratione; Annô nempe V. C. DCCC. post Christum natum XLVII. seipsô IV. L. Vitellio III. Coss. sicque nonnisi LXIII. post Augusti Ludos annis. Horum Ludorum mentio apud Suetonium, Plinium, Tacitum, Censorinum, Zosimum. *Fecit & Sæculares*, ait Suetonius, *quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos: quamvis ipse in historiis suis prodat, intermissos eos Augustum multò pòst, diligentissimè annorum ratione subducta, in ordinem redegisse. Quare*, addit Historicus, *vox præconis irrisa est, invitantis more solenni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset; cùm superessent adhuc qui spectaverant, & quidam histrionum producti olim* (*Stephanionem* nominat Plinius) *tunc quoque producerentur.*

Sueton. in Claud. c. 21. Plin. Lib. VII. c. 48. & Lib. VIII. cap. 42. Tacit. Annal. Lib. XI. Censor. & Zosim. ubi supr.

Quâ quidem in festivitate, Vitellium Claudio adulantem, *Sæpe facias*, dixisse, alibi refert Tranquillus. Sed nec desunt Veteres Nummi, horum Claudii Ludorum testes: Qualis ille, apud Occonem, quô ex unâ parte Caput Claudii, TI. CLAVD. CAESAR AVG. P. M. TR. P. VII.

Sueton. in Vitell. c. 2.

Occo Mediob. pag. 83.

VII. IMP. XIIII. Ex alterâ parte, quinque Figuræ ſtantes, ſacrificantium ritu, cum hac Epigraphe, SAECVLARIA SACRA.

Sequuntur *Domitiani* Ludi, non quidem ad Claudii, ſed ad Auguſti normam celebrati, Annô nempe V.C. DCCCXLI. Æræ Chriſtianæ LXXXVIII. Domitianô XIV. & L. Minutiô Rufô Coſſ. ſicque CIV. poſt Auguſti, & XLI. poſt Claudii Ludos annis. Teſtes Suetonius, Tacitus, Martialis, Statius, Victor, Cenſorinus, Zoſimus, atque ingens Nummorum copia. *Fecit & Ludos Sæculares*, ait Suetonius, *computatâ ratione temporum ab anno, non quô Claudius proximè, ſed quô olim Auguſtus ediderat.* Quinimò auctum à Domitiano Solennium iſtorum ſplendorem, & pro XXV. miſſibus, qui peragi conſueverant, C. ab eo inſtitutos, ab eodem autore innuitur. Hôc verò locô, deflere liceat Hiſtoriarum Taciti jacturam; Quarum ſi pars illa ſupereſſet, quæ de Domitiani rebus agebat, ſupervacanea jam omnis foret, de Ludorum Sæcularium intervallis, diſquiſitio. *Vtriuſque principis*, inquit, Auguſti nempe & Claudii, *rationes prætermitto, ſatis narratas libris, quibus res Imperatoris Domitiani compoſui. Nam is quoque edidit Ludos Sæculares, iiſque intentiùs affui, Sacerdotio Quindecimvirali præditus, ac tum Prætor. Quod non jactantia refero, ſed quia collegio Quindecimvirûm antiquitùs ea cura, & Magiſtratus potiſſimùm exſequebantur officia cærimoniarum.* Quod ad Martialem ſpectat, ille videtur, non unô locô, ad hos Domitiani Ludos alludere. Sic in Epitaphio Nobilis Matronæ,

De Ludis Sæcularibus DOMITIANI.

Sueton. in Domit. c. 4. Tacit. Annal. Lib. XI. Aur. Victor. Epito. Cenſorinus & Zoſim ubi ſuprà.

Tacit. Annal. Lib. XI.

Martial. Epigr. Lib. X. Epig. 63.

næ, eam binis Ludis Sæcularibus ſpectatam eſſe aſſerit;

Bis mea Romano ſpectata eſt vita Tarento.

Politian. Onuph. Panvin. Raderus, aliique.

Quæritur autem, quinam fuerint bini illi Ludi Sæculares? Vulgò Interpretes, Ludos Claudii, & Domitiani, intelligunt. Verùm frigidè, meô judiciô; Etenim quid in hoc miri, quòd Matrona per XLI. annos vixiſſet? Et an id tanti erat, ut Poëta ſic ordiretur;

Ibid. in init.

Marmora parva quidem, ſed non ceſſura, viator,
Mauſoli ſaxis, Pyramidumque, leges.

Lipſ. Epiſt. Cent. ad Ital. & Hiſp. Epiſt. 26.

Marr. in uſum Delph. de hoc loco.

Pagi.

Lipſius legit, *vitta Tarento*, & refert ad conjugium: ſed nec illud loco aptius; Quid enim miri, quòd conjugium per XLI. annos durârit? Senſit nodum, ſed non potuit ſolvere, Commentator in uſum Delphini: *Videat Lector*, inquit; *Perobſcurus mihi videtur hic locus.* Ergo, vel dicendum, cum Doctiſſ. Critico, nihil aliud hoc loco notari, niſi Matronam hanc *tot annos vixiſſe, quot ſatis ſunt ad bis ſpectandum Sæcularia*; Vel potiùs,

Laurent. Ramir. de Prado Hypomn. ad Epigr. Martial. pag. 293.

cum Ramirez de Prado, ipſi Ludi Auguſti & Domitiani intelligi poſſunt, per quorum intervallum, hoc eſt, per CV. annos, hæc Matrona in vivis fuerit: Unde Poëta, non eam *ſpectaſſe*, ſed *ſpectatam eſſe* aſſerit; tum ut innuat, ut ipſa ſpectaret, per ætatem non licuiſſe; tum etiam ut ſignificet, tam provectæ ætatis Matronam ſpectaculo dignam fuiſſe. Sed hæc obiter. Aliô locô

Martial. Epigram. Lib. IV. Epig. 1.

Martialis Domitiano fœdè adulatur, &, ut alteros Ludos Sæculares celebrare poſſit, exoptat:

Hic colat ingenti redeuntia Sæcula luſtro,
Et quæ Romuleus ſacra Terentus habet.

Cùm

Cùm verò nimium videretur, Imperatori quadragenario plusquàm centum novos annos optare, excusatione utitur Poëta;

Magna quidem, Superi, petimus, sed debita terris; Ibid.
Pro tanto quæ sunt improba vota Deo?

Sed &, ad hos Domitiani Ludos, sequentes versus alludere, conjicit Vener. LLoydius; Mart. Epigr. Lib. VIII. Epigr. XI.

Dum te longa sacro venerantur gaudia Circo,
Nemo quater missos currere sensit equos.

Etenim *longa* erant *gaudia*, ut observat Doctiss. Præsul, Ap. Pagi Crit. ad An. 88. §. IX. *quando pro solitis* XXV. *Missibus peragerentur centum.* Ad Statium pergo, Martialis coævum, & à quo etiam Domitiani Ludi non unô locô memorantur. Sic, in *Soteriis* Stat. Sylvar. Lib. I. Soter. pro Rutil. Gall. pro Rútilio Gallico, sperat fore ut Dii, Sæcularibus placati Sacris, illum è vivis non sint erepturi;

Nec tantum induerint fatis nova Sæcula crimen,
Aut instaurati peccaverit ara Terenti.

Et paulò pôst, ad Carmina alludens, quæ pueri prætextati in Sæcularibus Ludis cecinerant;

Neque enim frustrà mihi nuper honora
Carmina patricio, pueri, sonuistis in ostro.

Aliô locô, eâdem usûs, quâ Martialis, adulatione, alteros Ludos Sæculares Domitiano exoptat; Stat. Sylv. Lib. IV. de Consulat. XVII. Domitiani.

Mecum altera Sæcula condes,
Et tibi longævi revocabitur Ara Terenti.

Sic enim rectiùs legit Scaliger, quàm, *revocabitur ara parentis*, prout habent Codices vulgati. Quod quidem votum, aliô locô, sed aliis verbis exprimit Poëta; Scalig. Emend. Temp. Lib. V. p. 487.

Stat. eod. Lib de Epulo Domitiani.

Dî tibi (namque animas ſæpe exaudire minores
Dicuntur) patriæ bis , terque , exire ſenectæ
Annuerint fines , rata numina miſeris aſtris ,
Templaque des , habiteſque domos , ſæpe annua pandas
Limina , ſæpe novo Ianum lictore ſalutes :
Sæpe coronatis iteres quinquennia Luſtris.

Occo Mediob. pag 136. 137. Du Choul p. 184. 185. Erizzo, p. 276. 277. &c. Patin. Numiſm Impp. ex ære, p. 258. Vaillant Numiſm. Præſt Tom. I. pag. 39. & Tom. II. p. 55. Rainſſant Diſſ (n: 12. Medail Secul. de Domitien. Verſa. 1684.

Quot verò ſint Domitiani Nummi , Sæcularibus Ludis inſcripti , docent rei Nummariæ Principes , Occo , Patinus , Vaillant, aliique. In quibuſdam , Cippus cum his verbis , P. M. TR. POT. VIII. CENS. P. P. P. COS. XIIII. LVD. SAEC. In aliis Tripos ; In aliis Ara ; In aliis Porticus ; In aliis Templum. Hîc Imperator ſacrificans ; Ibi thura adolens ; Hîc in ſuggeſtu ſedens ; Illic paludatus ſtans , Populumque manu porrectâ adloquens. Hinc SVF. P. D. *Suffimenta Populo Data* ; Illinc A POP. FRVG. AC. *A Populo Fruges acceptæ.* Modò cernas Popam cum Victima; Modò Figuras ad Aram ſtantes; Modò Figuras genuflexas,& ad Principem manus elevantes; Modò etiam Citharam pulſantes , vel Tubas ori admoventes. Quibus omnibus , Sacra Sæcularia , Rituſque in iis adhiberi ſoliti , graphicè depinguntur. Denique , in Tabulis Capitolinis, hæc habetur Inſcriptio; in qua ipſum Domitiani nomen , à Senatu eraſum, reſtituit Onuphrius;

Vid. Scalig. Emend. Temp Lib. V. pag 486. Sue. or. Grævii, p. 774.

A. P. R. C. DCCCXLI.
IMP. CAESARE. DIVI. VESPASIANI. FILIO.
DOMITIANO. AVGVSTO. GERMANICO.
MAGISTRO. XV. VIR.
EX. S. C. LVDI. SAECVLARES. FACTI.

Porrò

Porrò ab *Antonino Pio*, Annô Urbis nongentesimô, celebratos esse Ludos Sæculares, Viri quidam Docti arbitrantur; Uno scilicet Aurelii Victoris testimonio fulti, qui *celebratum magnificè Vrbis nongentesimum* ab Antonino Pio testatur. Verùm quid faciat unus hic testis, contra reliquos omnes Historicos? Quid faciat contra Censorinum, qui tam sedulò in hæc inquisivit? Quid faciat inprimis, contra Veterum Nummorum fidem, in quibus ne minimum quidem apparet Antonini Ludorum vestigium? Sed neque id asserit Victor; Celebratum quidem annum illum dicit; At Ludis Sæcularibus celebratum esse non dicit. Ergo dicendum, per hæc Solennia, non tam annum Urbis nongentesimum, quàm Imperii *Decennalia*, ab Antonino agitata esse; Quæ constans erat, ut omnes nôrunt, inde ab Augusti temporibus, Imperatorum consuetudo; Et quod ex ipsis Antonini Nummis, hoc tempore cusis, demonstratur.

Ludos Sæculares ANTONINUS PIUS *non fecit.* Aurel. Victor, de Cæsaribus, in Anton. Pio.

Vid. Occon. Mediob. pag. 199.

Succedunt Ludi *Septimii Severi*, Augusti more celebrati, Annô Vrbis DCCCCLVIII. à Christo Nato CCIV. L. Fabio Cilone, & M. Annio Libone Coss. sicque CXVI. post Domitiani, & CCXX. post Augusti Ludos annis. Hisce Ludis sese adfuisse testatur Herodianus; *Vidimus*, inquit, *sub illo quosdam omnis generis Ludos, cunctis editos theatris, simulque supplicationes & pervigilia ad formam Cereris initiorum (Sæculares hi tunc appellabantur) celebratos, ut aiunt, decursô trium spatiô ætatum. Siquidem Vrbe totâ atque Italiâ præcones itabant convocatum omnes ad Ludos,*

De Ludis Sæcularibus SEVERI.

Herodian. Hist. Lib. III. p. m. 72. Adde Censorin. & Zosim. ub. supr.

 quos

quos nec vidissent hactenus, nec visuri postmodùm forent: Ita scilicèt intervallum præteritæ futuræque celebritatis supra omnem esse hominum ætatem significantes. Hæc Herodianus. Adstipulantur Numismata, tum Severi, tum filiorum, Sæcularibus Ludis insignita. Ibi COS. III. LVD. SAEC. FEC. Ibi SAECVLARIA SACRA. In quibusdam stat Imperator, cum Filiis sacrificans. In aliis multæ Figuræ, ante aram constitutæ. Hîc videas Porcum sacrificandum; Ibi Tiberim decumbentem; Illic Tibicines ac citharædos. Speciatim verò Herculem & Bacchum in multis cernere licet; Quibus, teste Xiphilino, Templum maximum struxerat Severus; Unde & illi in ejus Nummis frequentissimè occurrunt, cum hac Epigraphe, DI. PATRII. & alibi, DIS. AVSPICIBVS. Hercules clavam, Bacchus dextrâ scyphum, sinistrâ thyrsum tenet; Ad pedes verò Bacchi stat animal, quod alii canem, alii tigridem, alii pardum interpretantur, sed quod non aliud esse quàm Pantheram, utpote vino deditam, idcóque Baccho vulgò adsidentem, probat Illustriss. Spanhemius. Tandem, nec desunt Inscriptiones, quibus eadem Solennia notentur; Quales istæ apud Panvinium;

Occo Mediob. pag. 276. 287. 300
Erizzo pag. 566.
Patin. Num. Impp. p. 278.
Vaill. Num. Præst. Tom. I p. 109. 110. 117. 118. & Tom. II. p. 108. 115.
Xiphil. Epit. Dion. in Severo.
Tristan. Tom II. pag. 76. 77.

Spanhem. de Præst. Numism. Diss. III. p. 165. 166.
Onuph. Panvin. Comm. in Lib. II. Fastor. p. 244.

SEVERVS. PIVS. AVG.
P. M. TR. P. XII. COS. III.
LVD. SAEC. FEC.

Item;

ANTONINVS PIVS AVG.
P. TR. P. VII. COS.
LVD. SAEC. FEC.

Atque hi fuerunt Octavi Ludi. Nonos verò instauravit

ſtauravit *Philippus*, Annô Vrbis Milleſimô, vel potiùs Milleſimô primô, prout omnes Nummi teſtantur; Æræ Chriſtianæ CCXLVIII. Philippô Patre III. & Philippô Filiô II. Coſſ. De his Ludis ſic Aurelius Victor; *Annum Vrbis milleſimum Ludis omnium generum celebrant*, Quibus ſubjungit, *Pontificum lege hoſtias mactatas eſſe.* Quanta verò Ludorum iſtorum magnificentia fuerit, & quot feræ Populo exhibitæ, teſtis eſt Capitolinus; *Fuerunt*, inquit, *ſub Gordiano Romæ elephanti* XXX. *&* II. *quorum ipſe* XII. *miſerat, Alexander* X. *alces* X. *tigres* X. *leones manſueti* LX. *leopardi manſueti* XXX. *belbi, id eſt, hyænæ* X. *gladiatorum fiſcalium paria mille: hippopotamus & rhinoceros unus: archoleontes* X. *camelopardali* X. *onagri* XX. *equi feri* XL. *& cætera hujuſmodi animalia innumera & diverſa: Quæ omnia Philippus Ludis Sæcularibus, vel dedit, vel occîdit. Has autem omnes feras manſuetas, & præterea efferas, parabat ad triumphum Perſicum: ſed votum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit Sæcularibus Ludis, & muneribus, atque Circenſibus, quum milleſimum ab Vrbe condita annum, in Conſulatu ſuo & filii ſui, celebravit.* Sed neque hos Philippi Ludos ignorârunt Chriſtiani Scriptores. Unde Euſebius in Chronicô; *Regnantibus Philippis, milleſimus annus Romanæ Vrbis expletus eſt: Ob quam ſolennitatem innumerabiles beſtiæ in Circo magno interfectæ; Ludique in campo Martio theatrales tribus diebus & tribus noctibus populo pervigilante celebrati.* Quæ & in Chronico Caſſiodori, totidem ferè verbis, leguntur; hôc additô, *quadraginta miſſus natali Romanæ Vrbis cucurriſſe,*

De Ludis Sæcularibus PHILIPPI.

Aurel. Victor. de Cæſar. in Philippo.

Capitolin. in Gordiano III. p. 164. 165. Edit. Salmaſ.

Euſeb. Chronic. Lib. II. ad An. Dom. CCXLVI.

Caſſiod. Chron. ad An. V.C. M.

curriſſe, *&* *agonem mille annorum actum.* Verùm non aliunde plùs lucis his Philippi Ludis accedit, quàm ex Nummaria ſupellectile: Etenim plurimi extant, tum Philippi Patris ac Filii, tum Otaciliæ Severæ Nummi, Sæcularibus notis ſignati. Ibi SÆCVLARES AVGG. Ibi SÆCVLVM NOVVM. SÆCVLVM FRVGIFERVM. MILLIARIVM SÆCVLVM. MILLENARIVM SÆCVLVM. SÆCVLARIA SACRA. ÆTERNITAS AVGG. LIBERALITAS AVGG. FELICITAS AVGG. & alia hujuſmodi. Ibi Templa cum columnis, in quorum medio Deus. Ibi variæ Figuræ, circa Aram ſacrificantes, quas inter ipſe Imperator. Ibi imprimis Ferarum effigies, hoc tempore exhibitarum; Quæ cùm numeralibus notis I. II. III. ad X. uſque diſtinctæ ſint, hinc conjicias cum Mediobarbo, totidem diebus Ludos perduraſſe, & unicuique diei ſingularem feram adſignatam eſſe; Etenim in uno cernitur Leo gradiens, cum hac Epigraphe, SÆCVLARES AVGG. I. In alio Lupa cum pueris, SÆCVLARES AVGG. II. In alio Ibix, SÆCVLARES AVGG. III. In alio Cervus, SÆCVLARES AVGG. V. In alio Hyæna, SÆCVLARES AUGG. VI. In alio denique Panthera, SÆCVLARES AVGG. X. De quibus feris à Philippo exhibitis, atque in ejus Nummis ſignatis, ſpeciatim de Elephante, Hyæna, Alce, ac Panthera, doctè ſuo more diſſerit Spanhemius, in eximio ſuo *de Numiſmatum Præſtantia* Libro. His verò Nummis adde Inſcriptionem, ad eadem Solennia ſpectantem;

Occo Mediob. p. 345. 346. &c. Erizzo, pag. 726. 729. 732. Patin. Numiſm. Impp. p. 381. 383. Spanh. Diſſert. IX. pag. 813. Vaillant. Num. Præſt. Tom. I. pag. 159. 160. 161. & Tom. II. p. 149. 150. Beger. Theſaur. Palatin. p. 333. 334.

Mediob. pag. 346.

Spanh. Diſſert. III pag. 133. 147. 152. 164.

PRAE-

PRAESENTIAE
MATRIS DEVM
P. SEPTIMIVS
FELIX
OB CORONAM
MILLESIMI
VRBIS ANNI.

Onuph. Panvin. Comm. in Fastos, pag. 260. Tristan. Tom. II. p. 571.

Ast Epitaphium illud Vigellii, qui centum annos vixisse dicitur, natus Ludis Sæcularibus Octavis, mortuus sequentibus, illud, inquam, Epitaphium, spurium non immeritò à Castalione judicatur: Ita habet;

Joseph. Castalio Obser. Decas III. cap. 1. pag. 150.

MEMORIÆ
SEX. VIGELLI. AQVINAT. QVI.
ANN. ATTIGIT. CENTENS.
SET. ALTERVM. ET NONAGENS.
PERPET. INOFENSA. VALETVD.
EXEGIT. RELIQVOS SEPTEM. ET. D. XIIX.
DECVBVIT. ET. OCCVBVIT.
NAT. LVD. SÆCVL. VIII. OBIIT. SEQVENT.

Pace Manutii, quô obstetricante Epitaphium illud in lucem prodiit, nemo non videt, aut valdè corruptum, aut omninò spurium esse; Cùm ab octavis Ludis sub Severo, usque ad nonos sub Philippo, non C. sed XLIII. intercepti sint anni; imò nec ulli, inde ab Augusto, post centesimum annum recurrerint.

Paul. Manut. Comm. in Epist. Cic. ad Fam. Lib. XII. Ep. 25.

Cæterùm post hos Philippi Ludos, nulli ampliùs Ludi Sæculares exhibiti occurrunt. Quòd enim novi sub *Gallieno*, ob Numismatum quorundam fidem, ab Erizzo collocentur, imò & utrùm celebrati sint, in medio relinquat

Post Philippum, nec à GALLIENO, *nec ab ullo alio, instaurati sunt Ludi Sæculares.*

Erizzo pag. 571.

Onup. Panvin. de Lud. Sæcularibus p. 12. Treb. Pollio, in Gallien. p. 176. Edit. Salmas.

relinquat Panvinius, in eo nec ullum ex Antiquis ducem, nec temporum rationem sequuntur. Ludos quidem varii generis populo dedit Gallienus, teste Pollione in Historia Augusta: At Sæculares Ludos dedisse, neque ulli Auctores tradunt, neque ut daret tempus suadebat. Sed neque id ex Nummis apparet, quibus exhibitæ feræ depinguntur, quique vel JOVI, vel APOLLINI, vel LIBERO, vel NEPTVNO, vel JVNONI, inscripti sunt: Etenim nihil horum Sæcularibus Sacris proprium erat. Imò verò nec ille Nummus, qui SÆCVLARES AVG. habet, si modò genuinus sit, ab Historicorum omnium fide nos cogit discedere: Potuit quippe imprudens Monetarius, simul cum ferarum effigie, etiam ipsam Inscriptionem, ex Philippi Nummis exscribere; Quod cùm aliàs sæpe factum sit, tum in Nummo Treboniani Galli, quô SÆCVLVM NOVVM inscribitur, observatum nuperrimè est à Doctissimo Begero. In genere, nec Centenariis Urbis Conditæ annis, nec centesimis decimis juxta Augusti legem sacris, ulli post Philippum occurrunt Ludi Sæculares instaurati. Certè, centesimô post Philippum annô, aliô Philippô & Saliâ Coss., Ludos Sæculares actos non esse, amara est Victoris querela; *Et quoniam*, inquit, *nomen admonuit, nostrâ quoque ætate post mille centesimus, Consule Philippo, excessit, nullis, uti solet, solennibus frequentatus: Adeò in dies cura minima Romanæ Urbis.* Et quòd centum, & centum ac decem, post Severi Ludos, annis, illi iterati non sint, non minus anxiè Zosimus conqueritur: *Ludis neglectis*, inquit, *imperio*

Beger. Thesaur. Brandenburg. p. 736.

Aur. Victor. de Cæsaribus, in Philippo.

Zosim. Lib. II. pag. 77. Edit. Oxon.

se

ſe abdicante Diocletianô, paulatim quaſi defluxit Imperium, taciteque redactum eſt ad quandam majori ex parte barbariem: Et paulò pòſt; *Verùm Conſtantinô & Liciniô tertiùm Coſſ. centum & decem annorum ſpatium completum fuit, quô jam Ludos conſueto more celebrari oportuit. Eô neglectô, ad infelicitatem illam res prolabi neceſſe fuit, quæ hoc tempore nos urget.* Hæc Zoſimus; Ex quibus etiam, fictitii *Honorii* Ludi jamjam à nobis explodentur. Ibid. pag. 71.

IV. Interim, injecta Zoſimi mentio monet ut novæ Quæſtioni à te propoſitæ faciam ſatis; Cur ſcilicet *Philippi* Ludos prætermiſerit Zoſimus? Cùm enim totam Ludorum illorum rationem expoſuiſſet, & ſingulos Imperatores, à quibus celebrati ſunt, ad Severum uſque recitaſſet, addit, poſt Septimium Severum eos planè neglectos eſſe; huncque neglectum, ad decrementum Romani Imperii, inſecutamque barbariem, non parùm contuliſſe: Et tamen conſtat XLIII. poſt Severi Ludos annis, eos iterùm à Philippo, & ſplendidiſſimè quidem actos eſſe. Baronius ſilentium illud Chriſtianiſmo Philippi tribuit; Cujus odiô, Ludos illius non numeraverit Zoſimus: Verùm falſo eum fundamento niti, ex jam jam dicendis patebit. Ergo præſtat ex antè dictis hujus nodi ſolutionem petere; Duplices nempe Ludos diſtinguendo, eos qui juxta Auguſti regulam poſt CX. annos redibant, quales celebravit Domitianus, atque ultimus Sept. Severus, & eos qui Centenariis Urbis Romæ annectebantur, quales celebrati à Claudio,

QUÆSTIO IV. *Cur Philippi Ludos taceat Zoſimus? Et, an Philippus Chriſtianus fuerit?*

Zoſim. ubi ſuprà.

Baronius ad Ann. CCXLIX. §. V.

Blondel Prim. de l'Egliſe p. 1132. 1133. Pagi Proleg. ad Diſſ. Hypat. §. XII. Id. Crit. Bar. ad Ann. CCXLVIII. §. IV.

H

Claudio, & tandem à Philippo. Priores tantùm memorat Zosimus; quippe quos solos, juxta Vetus Oraculum, servandæ Romæ aptos censebat: Cujus generis cùm non essent Ludi à Philippo celebrati, mirum videri non debet quòd à Zosimo prætermittantur.

Philippus Imp. non fuit Christianus.

Huet. Origenian. Lib. 2. cap. III. §. XII. Wetsten. Præf. ad Dial. Orig. cont. Marcio. p. 8. 9. &c. Euseb. Hist. Eccles. Lib. VI. cap. 34.

Quod ad Philippi Christianismum, rectè observas non posse illum cum his ejusdem Ludis consentire. Quinimò fictitium esse, (pace dictum sit Virorum Illustrium, Huetii, & Wetstenii, quibus aliter visum est) cùm ex aliis plurimis indiciis, tum ex his præsertim Ludis, evidenter colligitur. Etenim, si fuit Christianus Philippus, quî fit ut nullus Christianus Scriptor, ad Eusebium usque, qui octoginta post annos scripsit, tam felicis eventûs meminerit? Etiam, si fuit Christianus Philippus, quî fit ut nullus Ethnicus Autor, neque coævus, neque vicinus, hac de re conqueratur? Quî fit imprimis ut Zosimus, qui Constantinum ob fidem Christianam tam acriter insectatur, eam Philippo non exprobret? Adhæc, si fuit Christianus Philippus, cur *Constantinum* Autores innumeri, Lactantius, Eusebius ipse, Ambrosius, Paulinus, Sulpitius Severus, Chrysostomus, aliique magno numero, *primum Imperatorem Christianum* nuncupant? Rursùs, si fuit Christianus Philippus, quænam bona, quas immunitates, in Ecclesiam contulit? Iterùm, si fuit Christianus Philippus, quis capiat, sub ejus Imperio, Persecutionem passuros Christianos? Et tamen gravis memoratur, Alexandriæ saltem, quam ad hæc tempora pertinuisse, Chronologorum

Zosim. Hist. Lib. I. Lactant. Inst. Lib. 1. cap. 1. Euseb. de vit. Const. Lib II. c. 47. 49. & Lib. IV. cap. 62. Ambros. Orat. de Obitu Theodosii. Sulp. Sever. Hist. Lib. II. Chrysost. Tom. VI. p. 637. Edit. Savil.

rum optimi consentiunt. Verùm quid multis ? Vel uni Ludi, à Philippo celebrati, quibus tot hostiæ mactatæ, tot Gentilium Sacra peracta, fabulam illam penitùs evertunt. Dices, Philippum absuisse, dum hi Ludi agitarentur : Verùm adfuisse notant Historici; imò & narrant indecorè ridentem ab infanti Filio correptum, qui Filius nunquam risisse, hincque ἀγέλαστος dictus perhibetur. Dices, cum Orosio & Freculpho, nonnisi Christiano ritu, atque in honorem Christi, Ludos à Philippo actos esse : Verùm, unde hoc habet Orosius, contra fidem Autorum omnium ? Certè Victor expresse notat, *hostias Pontificum lege mactatas*. Eusebius quoque, *bestias innumerabiles in Circo magno interfectas, Ludosque in Campo Martio tribus diebus & tribus noctibus populo pervigilante celebratos* ; Quibus verbis totam innui Sæcularium Sacrorum rationem, nemo est qui non videat. Nummi præsertim, his Ludis cusi, Ethnicismum omninò redolent : Ibi SACRA SAECVLARIA; Ibi Templa exhibita ; Ibi Imperator stans ante aram, aliáque merè Ethnica : Quibus quidem motus Spanhemius, harum rerum optimus judex, hanc de Philippo Christiano famam *fabulis adnumerandam satis liquere* pronuntiat. Excipies cum Doctiss. Pagi, nondum fuisse Christianum Philippum, cùm hi Ludi agerentur, postmodùm ad Fidem accessisse : Verùm, si Eusebio credatur, quem auctorem hæc narratio habet, certè ipsis Imperii initiis Christianus esse debuit Philippus, dum in Oriente versaretur. Conjicies cum Illustri Huetio, non

Euseb. Hist. Eccl. Lib. VI. cap. 41. Valesius in hunc locum. Pagi Crit. ad An. CCXLVIII. § VI.

Aur. Victor. Epitom. in Philippo.

Orof. Hist. Lib. VII. cap. 20.

Freculph. Chron. Tom. II. Lib. III. cap. 5.

Aur. Victor. In Philippo.

Euseb. Chro. ad Ann. C. CCXLVI.

Vid. suprà pag. 54.

Ezech. Spanhem. Dissert. IX. pag. 853.

Pagi Critic. ad An. C. 247. §. V.

Huet. Origenian. Lib. I. cap. III. §. XII.

non quidem publicè Fidem professum, sed clàm Christianis Sacris functum esse: Verùm quinam est hic Christianismus, qui omnia Ethnicorum Sacra publicè fieri permittit? Et quô Veterum testimoniô suam hanc sententiam adstruet Huetius? Oppones Eusebii, aliorumque innumerorum Scriptorum, de Philippo Christiano dicta.

Eusebius Hist. Eccl. Lib. VI. cap. 34. Accedunt Hieronymus, Orosius Vincentius Lirin. Cassiodorus, Beda, Ado, Freculphus, Cedrenus, Georg. Sync. Nicephorus Callist. &c.

Verùm primò reliqui omnes ab Eusebio id desumpserunt; Itaque omnis auctoritas in ipsum unum refundenda. Rursùs, quàm credulus fuerit Eusebius, ac in errores pronus, si quid præsertim Christianæ rei favere videretur, non unô exemplô constat. Iterùm, non ex certa notitia, sed ex mero vulgi rumore, hîc loquitur Eusebius; κατέχει λόγος, *fama est*, inquit. Denique, quod palmarium, post scriptam Historiam Ecclesiasticam, sententiam mutavit Eusebius; Etenim, in vita Constantini, ita expressè Constantinum solum Imperatorem Christianum vocat, ut nihil evidentius; Μόνος, inquit, τῶν ἐξ αἰῶνος αὐτοκρατόρων Κωνσταντῖνος, Χριστοῦ μαρτυρίοις ἀναγεννώμενος ἐτελειοῦτο, θείας τε σφραγῖδος ἀξιούμενος. *Solus ex omnibus qui unquam fuerunt* (vel *ex omnibus Sæcularibus*) *Imperatoribus Constantinus, in Christi martyriis renatus & consummatus est, & divino signaculo donatus*. Quæ quidem verba ita clara sunt, contra Philippi Christianismum, ut Solis radiis scripta videantur.

Euseb. de Vit. Const. Lib. IV. c. 62.

Ast, inquies, Eusebio anterior Dionysius Alexandrinus, huic de Philippo Christiano famæ videtur adstipulari; Etenim, ut innuat quàm mitis initiô fuisset Valerianus, dicit *nullum superiorum Principum, ne eos quidem*

Dionys. Alexand. ap. Euseb. Lib. VII. cap. 10.

qui

qui palàm Christiani fuisse dicuntur, tanta humanitate ac benevolentia Christianos complexum esse, quantam ille præ se ferebat, initiô Principatûs. Verùm nocet, potiùs quàm favet, Christianismo Philippi hic locus. Nam, si fuisset Christianus Philippus, certè non ita hæsitanter Dionysius loqueretur; Rem affirmaret ipse, utpote Philippo coævus, non ab aliis tradi diceret. Rursùs, non de uno duntaxat loquitur Dionysius, *οἱ λεχθέντες*, ait, *ἀναφανδὸν χριστιανοὶ γεγονέναι, qui dicuntur palàm Christiani fuisse*; Quô nomine, eos omnes notat, qui, ob propensum in Christianos animum, Christiani à nonnullis, quanquam temerè, crediti fuerant; Qualis non modò *Philippus*, sed, & *Severus Alexander*, qui inter alios viros egregios, *& Christum, & Abrahamum, in larario habuit*, quique non unô Edictô Christianis favisse dicitur; & *Heliogabalus*, qui non modò *Iudæorum & Samaritanorum religiones*, sed & *Christianam devotionem, in Templum suum transferendam* dicebat; imò & fortè *Tiberius*, qui de Christo Diis adscribendo ad Senatum retulisse fertur. Itaque, ut istos omnes Christianos re verâ fuisse, Dionysii verba non probant, ita nec de Philippo quicquam simile potest concludi. Objicies totam narrationem, de pœnitentia à Philippo acta, quæ non modò est apud Eusebium, sed & ex Chronico Alexandrino, & ex Chrysostomi Oratione in laudem Babylæ Martyris, confirmari videtur: Verùm tam dubiè, tam variè, tam pugnantibus circumstantiis, hæc narratio instituitur, ut non leve inde exurgat falsitatis indicium. Objicies Origenis

Lamprid. in Alexand. Sever. pag. 123. Edit. Salmas.

Lamprid. in Heliog. pag. 102. Edit. Salmas.

Tertul. Apolog. cap. 5.

Euseb Lib. 2. cap. 2.

Euseb. Lib. VI. cap. 34.

Chron. Alexand. pag. 270. Edit. Reg.

Chrysost. Tom. V. pag. 446. Edit. Savil.

Euseb. Lib. VI. cap. 36. Epistolas, tum ad Philippum ipsum, tum ad Severam Augustam scriptas: Verum, non dicit Eusebius, se has Epistolas vidisse; Dicit tantùm eas *ferri*. Rursùs, pone scripsisse Origenem; Quid inde colligatur? Annon, & Adriano, & Antoninis, & Commodo, à Quadrato, Aristide, Justino Martyre, Athenagora, Tertulliano, aliisque, inscriptæ sunt Apologiæ? Itaque ***has Origenis Epistolas superesse*** oporteret, prout rectè observat Huetius, ut quid inde concluderetur. Porrò Nummis Nummos oppones, quorum nonnullis FELICITAS ORBIS, vel SPES FELICITATIS ORBIS, inscribitur; Quibus verbis, ait Patinus, ***nihil Principe Christiano dignius.*** Verùm quis nescit Inscriptiones illas Ethnicis perquàm familiares, quorum in Nummis FELICITAS AVG. FELICITAS TEMPORVM. FELICITAS SAECVLI. FELIX TEMPORVM REPARATIO, aliáque similia, frequentissimè occurrunt; Quæ quidem omnia, teste Spanhemio, ***variis symbolis expressa; Triremi putà, seu prosperæ navigationis cursu; quatuor pueris cum cornucopiæ, ceu quatuor anni tempestatum felici proventu; Olivæ ramo, & Caduceo, ceu pacis nuntiis; tum figuris Victoriarum nonnunquam, ut belli feliciter confecti testibus.*** Oppones & alium Nummum, quô Philippus Junior cernitur, virgâ Templi aditum monstrans; Unde, ***cum novô Sæculô novam Religionem servandam proponi***, colligit Baronius. Verùm, quis non videt hunc Nummum omninò Ethnicum esse, & ad Sacra Sæcularia, à Philippis agitata, manifestè alludere? Oppones imprimis celebrem illum Apamensium Nummum,

Huet. Origenian. locô citatô.

Patin Thesaur. rarior. Numism. p. 87.

Spanhem. De Præst. Numism. Diss. VIII. pag. 716.

Baron. ad An. C. 249. §. IV.

mum, quem ex ampliſſima ac ſplendidiſſima Magni Etruriæ Ducis gaza edidit Falkonerius; Quô, in antica, Caput Philippi, in poſtica, Vir & Mulier in Arca ſedentes, itidem extra Arcam, deſuper duæ columbæ, & adſcriptæ tres literæ N Ω E; Quibus quidem, Noachi Diluvium, atque adeò Chriſtiana Doctrina, deſignari exiſtimatur. Verùm, non alios hîc exhiberi quàm Deucalionem & Pyrrham, & literas N Ω E, ſicubi occurrant, pro N E Ω (quod eſt initium vocis Νεώκορος) cælatoris vitiô poſitas eſſe, pro certo ſtatui poteſt. Extat hic Nummus, planè ut dico, apud Celeberr. Vaillantium. In Antica, eſt Philippus Pater; In poſtica, Figuræ illæ, tum in arca, tum extra arcam, cum hac Epigraphe, ΕΠ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΕΛ. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ ΝΕΩΚ. *Sub Marco Aurelio Alexandro Optimo* (vel *Bellio*, ut Doctiſſ. Harduinus) *Pontifice Apamenſium Neocororum*. Scilicet, hæc eſt *Apamea* Phrygiæ, àd Mæandrum & Marſyam ſita, dicta vulgò Κιβωτὸς *Arca*, non quòd Arca ibi reſederit, ut perperàm Verſus Sibyllini, ſed, vel ob ipſum ſitum, utpotè *circumfuſa Marſya, Obrima, & Orga, fluminibus in Mæandrum cadentibus*, ut auctor eſt Plinius, vel ob Emporii celebritatem, quòd velut arca quædam ac receptaculum totius Aſiæ eſſet, prout Strabo teſtatur. Cùm verò celebre in Græcia fuiſſet Deucalionis Diluvium, hinc in variis hujus Urbis Nummis Diluvium illud exhibetur. Sic unus eſt Sept. Severi, huic Philippi planè ſimilis, cum hac Epigraphe, ΕΠΙ ΑΓΩΝΟΘΕΤΟΥ

ΑΡΤΕΜΑ

Oct. Falkon. Diſſ. de Num. Apam. p. 168.

Werſte. Præf. ad Dialog. Orig. p. 12.

Tillemont Hiſt. des Emp. Not. 1. ſur Philip.

Vaillant Numiſm. Impp. græc. p. 161 Edit. Amſtel.

Harduin. Numm. Pop. & Urb. pag. 595.

Strab. Geog. Lib. XII.

Plin. Lib. V. cap. 29.

Salmaſ. Plin. Exerc. Tom. 2. pag. 826.

Bochart Phaleg. Lib. I. cap. 3.

Exec. Spanh. Diſſ. IX. pag. 890.

Fiid. Spanh. de Philip. Chriſt. §. XV. XVI.

Vaillant. ubi ſupr. pag. 80.

ΑΡΤΕΜΑ Γ. ΑΠΑΜΕΩΝ ΝΕΩ *Sub Agonotheta Artema tertiùm Apamensium Neocororum.* Ergo, ut in hoc Severi Nummo, ita & in simili Philippi, nec Noachus, nec Christiana Fides ullatenùs est quærenda. Contrà, dum Pontifex Apamensium his in Nummis nominatur, & Apamea Νεώκορος, hoc est *Sacris præfecta* dicitur, quis non videt hæc planè Ethnica? Quibus si addas, & alios extare, tum Philippi utriusque, tum Otaciliæ Severæ Nummos, apud eosdem Apamenses cusos, & variis Ethnicismi caracteribus insignitos, certè patebit bonos istos Phrygas de Philippi Christianismo ne somniando quidem cogitasse. Tandem quæres, Unde ergo prodierit illa de Philippo Christiano Fabula? Verùm Docti pridem observârunt, Zonaram aliud agentem digitum ad fontem intendisse; Dum dicit, duos Philippos confusos; Philippum quendam Eugeniæ Martyris patrem, & hunc nostrum Philippum; Illum Επαρχον Αἰγύπτε, *Præfectum Ægypti*; Hunc Επαρχον τῆ δορυφορικῆ, *Præfectum prætorio*; Illum *Augustalem*, sic enim Ægypti Præfectos vocabant, ut ex *Notitia Imperii* liquet; & hunc *Augustum*; Quicquid sit, sanè non magnum est Christianæ rei detrimentum, si *latronem hunc Araba*, prout eum vocat Scaliger, *Domini sui interfectorem*, ac moribus impurissimum, ab Ecclesiæ albo eradamus. Verùm de Philippo satis, de quo, cùm alii multi, tum fusè nuper ὁ μακαρίτης, Fridericus Spanhemius, in eruditissima sua, *de temerè credito Philippi Christianismo*, Dissertatione. Ad Honorium jam pergamus.

Vaillant ibid pag. 161. 164. 166.

Zonar. Ann. Lib. XII. Tom. I. pag. 624. Edit. Reg.

In Notit. Imp Orient. Comm. cap. CXVII. fol. 75. Scalig. not. in Euseb. Chron.

V. Quæ-

V. Quæritur ergo, num ab *Honorio*, vel ſaltem eô imperante, celebrati ſint Ludi Sæculares? Affirmant Panvinius, Baronius, Erizzo, Petavius, Blondellus, unô verbô Docti ferè omnes. At contrarium à Scaligero, & pleniùs nuper ab Ant. Pagi, clarè, me judice, demonſtratum eſt. Qui affirmant, duo tantùm habent, quibus ſententiam ſuam tueantur, nempe Ludos Gladiatorios ab Honorio nonnunquam permiſſos, & Claudiani locum, Paneg. in VI. Conſulatum Honorii. At Gladiatorii Ludi nihil probant; cùm aliàs ſæpe fierent, quàm in Feſtis Sæcularibus; imò & eô ipsô annô, quô Sæculares Ludi finguntur, ab Honorio ſint abrogati. Et quod ad Claudiani locum, nihil aliud eſt quàm mera alluſio ad Sæcularium Ludorum tempora, ſive acti ſint, ſive non acti, quæque proinde nihil probat. Scilicèt ſcriptum hoc Carmen, annô CCCCIV. quô VI^{tum}. Conſul Honorius, ex Oriente Romam rediit. Hunc igitur Principis adventum modis omnibus celebrat Poëta; Atque, inter alia, Romam inducit, quæ Imperatorem morantem urget, dicitque ſe per centum annos, Auguſtorum præſentia, nonniſi *ter*, hoc eſt rariſſimè, & quidem poſt bella Civilia, potitam fuiſſe;

Tua te benefacta morantem
Conveniunt, meritiſque tuis obnoxia virtus
Quos ſervavit, amat. Iam flaveſcentia centum
Meſſibus æſtivæ detondent Gargara falces;
Spectandoſque iterùm nulli *celebrantia* Ludos

Qvæst. V. An ſub Honorio *Imp. celebrati ſint Ludi Seculares?*
Panv. de Lud. Sæc. p. 12. 13.
Baron. ad An 404. §. I. II.
Erizz. p. 574.
Petav. de Doc. Temp. Lib. XIII. p. 763. 4.
Blond. Prim. p. 1133. 1134.
Scaliger. Emend. Temp. p. 390.
Pagi Proleg. ad Diſſ. Hypat. §. XI. XII.
Ibid Diſſert. p. 187. 8. 9.
Claudian. Panegyr. in VI. Conſulatum Honorii, ỿ. 386. ---395.

Circumflexa rapit centenus Sæcula Consul;
His annis, qui Lustra mihi bis dena recensent,
Nostra ter Augustos intra pomæria vidi,
Temporibus variis; Eadem sed causa trophæi
Civilis dissensus erat, &c.

Hæc Claudianus, vel potiùs Roma, quam ille loquentem inducit: Ubi vides, centum annorum spatium triplici periphrasi designari; Prima, à centum messibus;

Iam flavescentia centum
Messibus æstivæ detondent Gargara falces.

Ovid. Fastor. Lib. III. ỷ. 557. Sic Ovidius, Fastorum III°, per *tres messes*, & *tertia musta*, tres annos intelligit;

Tertia mandatas acceperat area messes,
Inque cavos ierant tertia musta lacus.

Claud. Paneg. in IV. Cons. Honor. Sic Claudianus ipse, de Honorio decem annos nato,

Decimas emensus aristas.

Altera periphrasis ab evoluto Sæcularium Ludorum spatio, sive acti sint, sive non;

Spectandosque iterum nulli *celebrantia* Ludos
Circumflexa rapit centenus Sæcula *Consul.*

Vid. suprà Pag. 48 49. Sic Martialis, locô jam laudatô;

Hic colat ingenti redeuntia Sæcula *lustro*,
Et quæ Romuleus Sacra Terentus *habet.*

Et Statius, *Mecum* altera Sæcula *condes*,
Et tibi longævi revocabitur ara Terenti.

Tertia denique periphrasis, Poëtis etiam familiaris, ex viginti Lustris ducitur;

His annis qui Lustra mihi bis dena recensent.

Dices,

Dices, sed cur à Ludis Sæcularibus periphrasim ducit Poëta, si nulli celebrati sint? Primò locutio ipsa elegans est, & à Poëtis sæpe usitata, ut ex Martiali & Statio liquet. Deinde verò id tempori, quô scribebat Claudianus, apprimè conveniebat, cùm ducentesimus ageretur annus, ex quo Sept. Severus Sæculares Ludos celebraverat, sicque in hæc circiter tempora incidere Ludi deberent, juxta ordinationem Augusti. Itaque vides, hæc Claudiani verba, ad adstruendos Honorii Ludos, nullius ponderis esse.

Contrà verò Ludos Sæculares ab Honorio actos non esse, multa faciunt ut asseramus. Primò, silentium Auctorum omnium; Etenim, si tollas Claudiani locum, ex quo quidem nihil probatur, Ludorum Honorii Sæcularium nec vola ullibi, nec vestigium. Speciatim, quis credat Zosimum, qui sub Theodosio Juniore scripsit, de omissis Ludis Sæcularibus tam tragicè lamentaturum, si nonnisi paucis antè annis sub Honorio celebrati essent? Et quis capiat, tum in eo loco, ubi Sæculares omnes enumerat, tum etiam Libro V°, ubi res Honorii describit, hos Honorii Ludos omissurum? Dices, & Philippi Ludos omisisse. Verùm alia longè ratio erat; Cùm Philippi Ludi, ut suprà ostensum, diversi essent generis; isti verò Honorii Ludi, si modò tales fuissent, ad Augusti normam celebrati. Rursus, vel ipse Claudianus, qui ab adversa parte producitur, sententiæ huic non parùm favet: Etenim, si Ludos Sæculares hoc tempore fecisset Honorius, certè eorum pom-

Vid. Pagi Proleg. ad Diss. Hyp. §. XLIII.

Zosim. Lib. II. init. & Lib. V.

Vid. suprà pag. 57.

I 2 pam

pam deſcribere, iiſque Honorii adventum ornare, non omiſiſſet Poëta: Cùm igitur nihil tale notet, ſed obiter tantùm, & aliud agendo, ad Ludorum ſpatium alludat, id manifeſto indicio eſt nullos ejuſmodi Ludos actos eſſe: Unde ingenioſè videtur, *Spectandos iterùm nulli*, Ludos illos appellare, non modò quòd vulgaris eſſet in Solennibus illis formula, ſed & ut innuat morem hunc abolitum, neque ampliùs reſtitutum iri. Verùm, nil fortiùs hos Ludos refellit, quàm ipſa Fidei Chriſtianæ profeſſio, cui innutritus Honorius, imò & innumeræ Leges, cùm ab aliis Chriſtianis Principibus, tum ab ipſo Honorio latæ, quibus Ethnicorum Sacra & Spectacula coërcebantur: Illa quippe cum Sacris Sæcularibus non facilius eſt copulare, quàm

Vid. Cod. Theodoſ. Lib. XV. & XVI. cum Comment. Gothofredi.

Serpentes avibus geminari, tigribus agnos

Horat. de Art. Poët.

Fateor, omnia Gentilium Sacra non ſimul ac ſemel ſublata: Verùm ab iis, cùm omnes Chriſtiani, tum præſertim Imperatores, ſummâ curâ abſtinebant; Et ſub Honorio ad incitas quaſi redactus erat Ethnicifmus. Fateor etiam reliquias nonnullas Ethnicarum Superſtitionum, Paganas quaſdam Inſcriptiones, Vota Gentili ritu concepta, Auguria, Aruſpicinam, Ariolorum divinationes, aliquandiu tolerata: Verùm hæc initio tantùm, dum plurimi adhuc Ethnici eſſent; Prævalente verò Chriſtianâ Fide, ſub Theodoſio M. & filiis, damnata prorsùs atque antiquata. Fateor imprimis varios Ludos, Circenſes, Scenicos, Gladiatorios, imò & fœda Majumæ Spectacula, diutiſſimè locum habuiſſe: Verùm

Vid. Gothof. Epiſt. de ìnterd. Chriſt. cum Gentil. commun.

Vid. Cod. Theod. Lib. XV. Tit V. *De Spectaculis*, Tit. VI *De Majuma*, Tit. VII *De Scenicis*, &c. cum Notis Gothof.

rùm ea sensim tollebantur ; Et ne quid Ethnici ritûs retinerent, vel in Christianam modestiam peccarent, à Principibus coërcebantur. *Majumæ* festum, quô obscœna multa in Scenam promebantur, ab Arcadio & Honorio initiô toleratum est : ***Sed ita tamen***, inquiunt, *ut servetur honestas, & verecundia castis moribus perseveret.* Postmodùm verò, cùm intra hos limites coërceri non potuisset, omninò sublatum est : ***Ludicras artes concedimus agitari***, inquiunt iidem Principes, ***ne ex nimia earum restrictione tristitia generetur : Illud verò, quod sibi nomen procax licentia vindicavit Majumam, fœdum atque indecorum Spectaculum, denegamus.*** Pariter Ludi *Gladiatorii*, licèt à Constantino M. aliquando damnati, tamen sequentibus temporibus restituti ac tolerati sunt : Verùm, ut eos tolleret Honorius, eum Prudentius sic compellavit ;

Cod. Theod. Lib. XV. Tit. VI. Leg. I. data An. 396.

Ibid. Leg. 2. data An. 399.

Cod. Theodos. Lib. XV. Tit. XII. *De Gladiator.* Leg. 1. cum not. Gothof.

Quod genus ut sceleris jam nesciat aurea Roma,
Te precor, Ausonii Dux augustissime Regni ;
Et tam triste sacrum jubeas, ut cætera, tolli.
Perspice, nonne vacat meriti locus iste paterni,
Quem tibi supplendum Deus, & genitoris amica
Servavit pietas ; solus ne præmia tantæ
Virtutis caperet, partem tibi, Nate, reservo,
Dixit, & integrum decus intactumque reliquit.
Arripe dilatam tua, dux, in tempora famam ;
Quodque Patri superest laudis, successor habeto.
Ille Vrbem vetuit taurorum sanguine tingi ;
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari ;

Prudent. cont. Symmach. Lib. II. vers. finem.

Nullus in Vrbe cadat, cujus sit pœna voluptas.

Theodoret. Hist. Ecclef. Lib. V. c. 24. Hæc Prudentius: Quibus re verâ persuasus Honorius, simulque cæde Telemachi Monachi, à Gladiatorum spectatoribus lapidibus obruti, commotus, Gladiatorios Ludos sustulit, ut refert Theodoretus. Fateor denique, inter reliquias Paganæ Superstitionis, *Pontificis Maximi* titulum à Christianis Imperatoribus aliquandiu retentum esse. Negat id quidem Gothofredus noster, peculiari hoc de argumento ad Rivetum datâ Epistolâ: At, quicquid dicat, Inscriptiones plurimæ, & luculenta, tum Zosimi, tum Ausonii loca, titulum illum ad Gratianum usque usitatum fuisse testantur; Quemadmodum, cùm alii multi, tùm imprimis Johan. Seldenus, eruditi Orbis Miraculum, fusè ac invictè demonstravit. Verùm ut taceam, non ad Sacra modò, sed etiam ad Rempublicam, tituli illius jura spectasse, certè in ipsa Religione sano sensu poterat sumi; Quasi diceres, *Sacrorum Præfectum*, Ἐπίσκοπον τῶν ἐκτὸς, *Episcopum ad extrà*, qualem se dicebat Constantinus. Cujus rei simile quid cernimus in Serenissimis Regibus Angliæ; Qui *Defensores Fidei* vocantur, alio planè, quàm initio, sensu. Cùm enim Henricus VIII. in Lutherum stylum strinxisset, eum *Defensoris Fidei* titulo insignivit Leo X. Quô titulô, Fides Papistica ab eo defensa notabatur. Quid igitur? Annon eundem titulum, quanquam mutato sensu, at potiori longè jure, retinere poterit GVILIELMVS? GVILIELMVS in Ecclesiæ bonum Miraculo quasi excitatus; GVILIELMVS, quem Nassovius

Gothof. Ep. ad Riv. de Christ. cum Gentil. com. & Pontif. Max.

Zosim Hist. Lib. IV.

Auson. Grat. Actio pro Consulatu.

Selden. de Synedr. Lib. I. cap. 10.

Ez. Spanhem. Diss. VIII. p. 661. 695.

Euseb. de Vit. Const. Lib. IV. c. 24.

Vid. Bullam Leonis X. ap. Selden. de Titul. Honor. Part. I. cap. V. §. 4.

ſovius ſanguis, cum Colinio feliciter mixtus, veræ Fidei patronum effinxit; GVILIELMVS, quô Duce Batavi ſacrâ terrenâque Libertate etiamnum fruuntur; GVILIELMVS, quô Auſpice Britanni, ab intolerando Papatûs ac Tyrannidis jugo, immunes ſe præſtiterunt; GVILIELMVS, cujus hæc eſt gloria, quòd Optimos Viros, juxtà ac Doctiſſimos, Eccleſiis præfecerit; GVILIELMVS, cujus præſidiô novum decus Anglicana Eccleſia quotidie adipiſcitur; Et cujus ſydere (quidni enim fiat ex antè actis judicium?) infauſtæ illæ Proteſtantium lites feliciter tandem ſopientur; GVILIELMVS, cujus ad nomen totus Proteſtantium Chorus aſſurgit, cujus in capite ſalus noſtra vertitur, & cujus vitam, non in plures annos, ſed in plura Sæcula productam, propriæ diſpendiô omnes vellemus; Quid? nonne is optimo jure *Fidei Defenſor* vocabitur? Verùm quò me abripit Zelus, * & auſpicata; ô Sæculi decus, ô Angliæ deliciæ, tua his in Ludis præſentia*? Ad me igitur & ad rem redeo; Cùmque de Ludis Sæcularibus plus juſto jam diſſeruerim, de *Iubilæo* Pontificio nonniſi verbum ſubjungam.

VI. Inſtitutum illud, ut nôſti, à Bonifacio VIII. annô Æræ Chriſtianæ trecenteſimô ſupra milleſimum; Pro-

QVÆSTIO VI. De JVBILÆO Pontificio.

* Cùm Illuſtriſſimus ac Generoſiſſimus SALOPIÆ Dux, ex perantiqua ac ſplendidiſſima TALBOTIORUM Gente, Nobiliſſimi Ordinis à Periſcelide Eques, non Natalium magis ſplendore, ſummiſque quæ in Aula Britannica geſſit Muneribus, quàm eximiis animi dotibus, atque omni Virtutum génere conſpicuus, ſe Ludis noſtris adfuturum ſignificaſſet, hæc Apoſtrophe ad ipſum fuit dirigenda: Verùm eô propter valetudinem abſente, inter dicendum omiſſa eſt.

Raynald. Contin. Bar. ad An. 1300. §. 4.

Promulgatâ Bullâ, quâ *accedentibus ad Basilicas Apostolorum Petri & Pauli, tum in præsenti anno millesimo trecentesimo, tum in quolibet anno centesimo futuro, verè pœnitentibus & confessis, non solùm plenam & largiorem, immò plenissimam omnium peccatorum veniam concessit*. Hæc prima hujus Festi institutio. Quòd enim, similem prioribus Sæculis Indulgentiam concessam fuisse, apud Romanos fama erat, & quòd decrepitus quidam Sabaudus, qui his Bonifacii Sacris interfuit, se ante centum annos paria vidisse gloriabatur, id vel mero ætatis delirio, vel inepto plebis rumori, acceptum ferendum est: Unde in iis omnibus *multiplicem famam vacillasse*, neque quidquam hujusmodi in *vetustorum Librorum Monumentis* occurrisse, illarum partium homines fatentur.

Bzou. ad An. 1300. §. 1. Raynald. ibid. §. 6.

Jacob. Card. S. Georg. citat. à Raynald ibid. §. 2. 3.

An Jubilæum Pontificium ad exemplum Jubilæi Judaici sit institutum?

In hac autem Institutione, de *Jubilæo Judaïco* ne cogitasse quidem Bonifacium, ita certum est ut nihil certius. Nam, nec quidquam hac de re habet in sua Bulla Bonifacius; neque annorum terminus concurrit, cùm non quinquagesimus, sed centesimus quisque annus, à Bonifacio sit consecratus; neque ipsum *Jubilæi* nomen à Bonifacio inditum est, sed demùm à Clemente VI. prout agnoscit ipse Bellarminus; nec denique ulla occurrit, nisi longè admodum petita, & frigidis Allegoriis nixa, inter Jubilæum Judaïcum & Pontificium, similitudo. Ut jam mittamus, quàm alienum sit à Christiana pietate, Judaïcos ritus revocare, & Gratiam Evangelicam, nullis, nec locorum angustiis, nec temporum spatiis arctatam, certis temporibus vel locis includere.

Bellarm. de Indulg. & Jubil. Lib. I. cap. 1.

At

At verò Solennia hæc adinſtar *Ludorum Sæcularium* fuiſſe inſtituta, id & multi Viri Docti aſſerunt, etiam inter Pontificios, neque levibus fortaſſe adſtrui poſſet conjecturis. Sic Polydorus Vergilius, Librô de *Inventione Rerum*, an. 1499. in lucem miſſô; *Idem Pontifex*, inquit, nempe Bonifacius VIII. *Iubilæum centeſimo quoque anno ſervari mandavit; quod feciſſe videtur, ut populum cumprimis Romanum ab inani Sæcularium Ludorum celebratione ad verum ſolenne Sacrum reduceret.* Sic celebris ille Jacobus, Cardinalis Papienſis, Piccolomineus vulgò appellatus, meus tuuſque popularis, utpotè patriâ Lucenſis, ille, inquam, inter varia quæ Paulo II. exprobrat, dicit eum *Ludos Sæculares* imitari voluiſſe; ſine dubio quia Jubilæum promulgare meditabatur. Placet ipſam ejus Epiſtolam, generoſæ audaciæ plenam, & ſaluberrimis monitis prægnantem, ex parte ſaltem recitare. *Pontifex Paule, Eſt tibi, ut video, magna æternitatis cupido. Prædicare de te optas ſequentia Sæcula. Numiſmata eam ob cauſam tuæ imaginis, non cudis modò, ſed fundamentis ædificiorum parietibuſque admiſces, ut illis vetuſtate ruentibus exiliant poſt mille annos monimenta nominis Pauli. Titulos etiam operibus jubes incidi, quæ vel publica ſunt, vel uſum domeſticum habent. Æmulator quoque vanitatis antiquæ*, Sæculares Ludos, *& Epulum Romano populo exhibes. Similia his moliris multa, illuc uno affectu tendentia, ut Pontificatus tuus poſt te non ſileatur. Ignoſce, Paule. Veram laudem iſta non habent. Sacerdotalis non putantur officii. Vanitas eſt his intendiſſe.* Mox Cardinalis Pontificem hortatur,

An Iubilæum Pontificium ad inſtar Ludorum Sæcularium ſit inſtitutum?

Polydor. Vergil de Invent. rer. Lib. VIII. c. xi.

Jacob. Cardinal. Papienſ. Epiſt. 181. ad Paul. II. pag. 666. Edit. Francof.

tatur, ut, posthabitâ hâc inani gloriâ, solidam ac perennem in officiis exequendis quærat: *Opera autem æternitatis in Pontifice, sunt; Vitam immaculatam præstare, lapsam Ecclesiæ disciplinam erigere, restituendæ libertati Clericorum intendere, sic justitiæ cultorem esse, ut tamen misericordiæ sit recordatio; In bonis causis intrepidum se præstare; Non vultus, non minas potentum timere; Potiorem unâ conscientiam ducere; In specula credita excubare; Ad publicam gregis salutem oculis semper intendere; Nihil suum credere, quod Christi non sit; &c. His titulis, & numismatibus*, & Ludis, *& Epulis, paratur solida & perennis gloria.* Hæc ille. Porrò Jubilæum Pontificium ad Sæcularium Sacrorum exemplum fuisse institutum, innuit etiam Onuphrius Panvinius, suô *de Ludis Sæcularibus* libellô; *Erant autem hi Ludi*, inquit, *tanquam lustrum quoddam & expiamentum, quô antiqui Vrbem Romam omnibus præteritis noxiis purgari, renovari, atque instaurari existimabant, melioremque vivendi rationem in posterum precabantur. Erantque apud Veteres, perinde ac est apud nos annus* Jubilei, *in quo omnium delictorum veniam concedi liquet, quod & Pontificum Maximorum diplomata testantur.* Denique Jubilæum Romanum *in Ludorum Sæcularium locum substitutum fuisse*, expressè statuit Doctiss. Pagi, suâ *de Consulibus Cæsareis* Dissertatione.

Onuphr. Panvin. de Lud. Sæcular. pag. 6.

Pagi Dissert. Hypat. pag. 186.

Jubilæi Pontifi. ii cum Ludis Sæcularibus collatio.

Enimverò, qui Papistica hæc Sacra cum Sæcularibus Ludis comparabit, immane quantam deprehendet inter utraque convenientiam. Romæ fiebant Ludi Sæculares: Romæ Pontificia Sacra frequentantur. Ludi Sæculares, antequàm fierent, quaquaversùm

versùm promulgabantur : Promulgantur & Pontificum Bullis recentiora hæc Sacra. In Sæcularibus Antiquorum Ludis, præcipua Romæ Ethnicæ Templa, putà Jovis Capitolini, Apollinis Palatini, &c., summo studio invisebantur : In Sacris his Pontificiis, præcipuæ quoque Basilicæ, D. Petri, D. Pauli, D. Joannis Lateranensis, & S. Mariæ Majoris, summâ devotione invisuntur. In Sæcularibus Antiquorum Ludis, habebantur piamina, fiebant lustrationes, quibus delicta purgari, Dii propitiari, mala averti credebantur : Neque alius existimatur Jubilæi Papistici finis, quàm ut peccata deleantur, Indulgentiæ concedantur. In Sæcularibus Antiquorum Ludis, primitias plebs offerebat : In Sacris his Pontificiis, nonnisi pretiô numeratô, comparantur Indulgentiæ. In Sæcularibus Antiquorum Ludis, prima Sacra faciebat Princeps : In Sacris his Pontificiis, agmen ducit Pontifex Romanus. In certis Nummis Ludorum Sæcularium, v. g. in Nummo Philippi, quem Baronius exhibet, conspicitur Imperator, virgâ Templi portam pulsans: Tolle virgam Imperatoris ; Pone malleum Pontificis ; Et *Portæ Sanctæ* apertionem, qualis in Paparum Nummis describitur, intueri licebit. In Sæcularibus Ethnicorum Ludis, continuò canebantur Hymni : Et sic quoque, Cærimoniis omnibus Jubilæi Pontificii, Hymni & cantus admiscentur. Tandem, ut Ludorum Sæcularium tempora variè pro arbitrio Imperatores immutabant, ita & Jubilæi termini à Pontificibus persæpe mutati. Quibus omnibus si quis adjungat, quot alia Festa, quot

Baron. ad An. 249. §. IV.

Vid. Polydor. Vergil. Lib. IV. — VIII.

Conform. des Ceremon. Modern. avec les Ancienn.

alios ritus, Roma recens à veteri acceperit, certè probabilis admodum videbitur hæc Jubilæi Romani origo. Verumtamen, cùm hac de re sileat in sua Bulla Bonifacius, cùm etiam ante annos mille quinquaginta desiissent Ludi Sæculares, cùm denique, Bonifacii tempore, magna esset veterum rituum, cùm Ethnicorum, tum Christianorum, penès Clerum ignorantia, nollem, hunc fuisse Jubilæi fontem, confidenter nimis asserere.

Cur Jubilæum Pontificium tam serò institutum?

Quòd autem Solennia hæc fuerint tam serò instituta, id videri mirum non debet. Non uno die Roma condita est. Non simul ac semel adolevit Superstitio. Variis illa gradibus, variis accessionibus crevit. Initiô, quædam reverentia iis locis habita est, in quibus Christus fuerat versatus. Mox Peregrinationes illuc institutæ. Tandem Bella Sacra indicta: Promissâ, tum peregrinis, tum sacræ militiæ nomen dantibus, amplâ peccatorum remissione; *Indulgentiam* dixerunt. Interim, ut magna Palestinæ, ita nec minor Romæ, sanctitas haberi cœpit: Et ad *Limina Apostolorum*, Reliquiasque ibi adservatas, magnus subinde factus concursus. Quod ut promoveret Bonifacius, vir supra modum superbus, prout tota ejus historia docet, & *aurum undique conquisitum plusquàm dici potest sitiens*, ut Platinæ verbis utar, ille, inquam, opportunè arreptâ centesimi anni occasione, solennem hanc Peregrinationem instituit. Quô quidem tempore, si fides Historicis, primô die, in Pontificalibus, populo benedixit: Posterô die, Imperatoris habitu, infulâ Cæsareâ insignis, gladium ante se nudatum

Platina de vit. Pontif. in Bonif. VIII.

Alber. Krantz. Saxon. Lib. VIII. c. 36.

nudatum jussit deferri, & sedens magna voce dicebat, *Ecce duo gladii hîc*; Quibus duplicem potestatem, spiritualem ac temporalem, penès se esse testabatur. *Vides, ô Petre, successorem tuum*, exclamat hanc in rem Krantzius, *& tu salutifer Christe, tuum cerne Vicarium*; *Vide quò ascendit superbia servi servorum tuorum.*

Porrò, quòd sæpe immutati sint Jubilæi Papistici termini, hac ratione effectum est. Annô, ut dixi, MCCC. ut centesimô quoque annô fieret, edixit Bonifacius. At quinquaginta post annos, lucri avidus Populus Romanus, Clemente VI. Avenione sedente, anticipari hæc Sacra optavit; Quibus annuit Clemens, &, ad exemplum Jubilæi Judaïci, quinquagesimum annum constituit. Postmodùm Urbanus VI. annô MCCCLXXXVIII. Jubilæum ad 33. annos reduxit, hac potissimùm de causâ, quòd tot annos vixisset Christus. Tandem Paulus II. & eô defunctô Sixtus IV. ad 25um. annum reduxerunt, nè ulla hominum ætas tanto beneficio destitueretur. Neque deerit fortè nonnemo, qui vel intra annum septimum, ad exemplum Anni Sabbathici, vel etiam intra brevius spatium, Solennia hæc includat; quò frequentior evadat illa Romanæ Curiæ messis. Atque sic se res habuerunt, ad ultimum usque Jubilæum, quod ab Innocentio XII. apertum quidem, sed non clausum est: Unde hoc ejus Epitaphium, adulationis plenum, circumfertur;

Cur ejus termini tam sæpe mutati.

Vid. Vitas Papar. Avenionens. à Baluzio editas, Tom. I. in Clement. VI.

Theodor. à Niem. Lib. I. de Schism. cap. 68.

Raynald. ad An. 1475. §. 1.

Pauca sibi, suis nihil, egenis omnia tribuit.
Vixit usque ad Annum Iubilæum,

Vt Cælum aperiret omnibus.
Extinctus est, ne clauderet.

Cæterùm, præter stata Jubilæa, alia subinde, gravibus de causis, à Pontificibus promulgantur: Cujusmodi, hoc ipso tempore, ad Europæ pacem impetrandam, promulgari cernimus. Verùm sua hæc habeant Sacra, qui

Buchan. in Franciscan.

Degenerem quæstum, sordesque secuti,
Seducunt stolidum pietatis imagine vulgus.

Nobis sat est verum Jubilæum, Jubilæum Christianum; nullis neque temporibus, neque locis, alligatum; Gratia nempe salutaris, Libertas Evangelica: Quod Jubilæum, LECTISSIME JUVENIS, à Venerando tuo Parente, tam piè, tam doctè, tam sincerè, tam diligenter, promulgatur; Quodque ut tu, paterna vestigia, prout cœpisti, feliciter calcans, pari quoque successu nunties, Deum boni omnis fontem veneror.

FINIS.

SYLLABUS

SYLLABUS QUÆSTIONUM.

